DE

SIGNO VIRGINITATIS

746 **GELLER** (Car. Godofr.). Pineani manes, sive dilucidationes uberiores circa signa virginitatis atque perspicua hymenis illibati testimonia observationibus et notis haud vulgaribus adornati. *Rostochi*, *J.-Chr. Koppius*, 1763, in-4, (4) ff. + 51 pp., d.-bas. (*Rel. mod.*). (814) 350 fr.

Curieux opuscule : l'auteur s'efforce de prouver qu'il y a des signes infaillibles de la virginité et que celle-ci, une fois perdue n'est susceptible d'aucune sophistication.

T. G. van Lidth de Jeude.

Duke University Medical Center Library
Trent Collection

(Geller (C.G.))

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/pinaeanimanessiv01gell

PINAEANI MANES
SIVE
DILVCIDATIONES VBERIORES
CIRCA
SIGNA VIRGINITATIS
ATQVE
PERSPICVA HYMENIS ILLIBATI TESTIMONIA
OBSERVATIONIBVS ET NOTIS HAVD VVLGARIBVS ADORNATI.

Atque haec vt certis poſſis dignoſcere ſignis,
Signa Tibi dicam, Tu condita mente, teneto.

GALENVS *de vſu part. Lib. X. cap. 9.*

Hic merito admirandi Sophiſtae, aliorum qui conamina et inuenta perſtringunt, reprehenduntque, omni licet ſtudio naturae opera explicare ignorent.

ROSTOCHII
APVD IO. CHRIST. KOPPIVM,
MDCCLXIII.

Geller

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

DE BASSEWITZ

S. R. I. COMITI, DYNASTAE IN PREBBEREDE, REL.

SERENISSIMO REGNANTI DVCI MEGAPOLITANO A CONSILIIS INTIMIS,

CANCELLARIAE IVSTITIAE DIRECTORI

CAET.

DOMINO GRATIOSISSIMO

PERENNEM ANIMI ET CORPORIS FELICITATEM.

ILLVSTRISSIME COMES

DOMINE GRATIOSISSIME.

Haeſitaſſem ſane, ac trepidus haeſitaſſem, imbecillem huncce ingenii mei foetum belli otio prognatum, PERILLVSTRI TVO NOMINI deſecrare, niſi Comitas TVA perquam gratioſa, vultus maieſtate condecorata, omnium qua corda TIBI devincta, et ad animitus colendum prona faciliaque redduntur ac alliciuntur, me quoque illuſtria TVA limina ſalutantem, anxium plane et deſolatum erexiſſet,

 vt

vt augurari exinde facile quiuerim, quid muſarum clientes de gratia TVA connata promittere ſibi poſſint. Profecto! ſi illuſtris natalium ſplendor praerogatiuam inter mortales aliquam meretur, ſane duplici dignus is cenſebitur veneratione, qui Illuſtrem Natalium ſplendorem, virtute, doctrina, humanitate, atque literarum omnium cognitione praeclariorem excellentioremque reddere anniſus. Quod quum omnium veritati reſpondeat, facile in apricum veniet ratio, cur muſarum cohors, cur patriae coloni pro TVA, COMES ILLVSTRISSIME, columitate, atque animi et corporis ſalute, deuota ad Deum ſuſpiria fundant; ſcilicet: vt TE, PERILLVSTREM et Natiuitatis ſplendore et doctrina liberaliori omni fulgentem coruſcantemque, mortalium laude perdignum, numen vetaret mori.

Poſſem equidem, COMES ILLVSTRISSIME, multo maiores illuſtrioresque ex aequo ſermones de humanitate TVA praecellenti; atque animi magnificentia

ſicentia ad TE condigne deferre, ſi paraſitaſtrarum mores et veſtigia, atro quae ſemper carbone notaui, ſequi et adamare fas eſſet. At! quid opus eſt verbis, ſi veritatis teſtimonia adſint: Regnantis etenim noſtri DVCIS SERENISSIMI Clementia ſuperque affulſa TIBI ex toto teſtificatur, quid patria, quid literarum cohors, quid clientum caterua polliceri de TE ſibi poſſint. Nullus itaque dubito, quin gratia TVA, nunquam ſatis depraedicanda, pagellas haſce aeque ac auctorem ſub Protectionis vmbramine inuidiae aduerſus tela, clypei inſtar, tueri ac defendere inclinet. Neque materiam ſubiunctis in paginis tractatam ILLVSTRISSIMO TVO NOMINI indignam ac indecentem putabis obſecro, quum non modo ad vtrumque ſpectet forum, ſed et parem Ferrariae Duciſſae ſacratam legerim. Accipias igitur, COMES ILLVSTRISSIME, pro gratia TVA connata, hoc eſt, fronte ſerena, pagellas haſce, cumque iis felicia vota, pio e pectore deprompta, in deuoti animi teſſeram, quam benigniſſime,

preçor.

precor. Viue TIBI, viue Patriae, ILLVSTRISSIMAEque TVAE PROSAPIAE, fauſto ſemper ſidere laetus auſpicatusque, terque quaterque beatus, mihique gratioſus. Sero in coelum redeas, diuque PATRIAE fortunatus interſis opto; nec vlteriori gratia eum dedignare, qui ad tumbam vsque omni venerationis cultu indefeſſo futurus

ILLVSTRISSIMI NOMINIS

TVI

Witteburgi
Megapolitanorum
A. O. R. MDCCLXIII.
ipſis Calendis Martii.

Cultor humillimus
CAROLVS GODOFREDVS GELLER,
M. D.

Can-

Candido et Beneuolo Lectori

S. et O.

AVCTOR.

Non libidinoſa inclareſcendi prurigo, neque temeraria affectandae eruditionis iactantia, ſed promulgandae vtilitatis publicae me impulit cupido, vt diſquiſitionem hancce phyſico-medicam, negotia inter practica exaratam, publici facerem iuris. Enimuero animum ſemper ſedulo ad id applicui, ne peractis praxeos meae negotiis, otio tempus tererem, quandoquidem otia dant vitia, et ignauum perſaepe corrumpant corpus. Quum autem generoſos labor nutriat animos, indeſinenter eo allaborandum contendi, vt meditationibus mentem erigerem delaſſatam, quo

ſemper eſſet ſana in corpore ſano. Etſi vero labori indulgere vacuo, idem ſit, ac vtilitate absque vlla laborare, aut oleum et operam perdere; materiam hanc de virginitate arduam, a multis falſo pro intricata habitam, ſolide, et a prima, vt dicitur, ſtirpe exacte pertractare animum induxi, Venuſini non immemor moniti:

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, aequam
Viribus; et verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Etenim per quinque luſtra et quod excurrit, clinicis non modo, ſed et chirurgico-medicis quum indulſerim laboribus, perſaepe diuerſae aetatis perſonas, ſequioris ſexus coelibes, non modo corporis ob noxam, pudoris circa regionem haerentem, perluſtrare, ſe mihi obtulit occaſio, ſed et in talis modi demortuis ſubiectis, ſectioni iudiciali obuiis, obſeruare et rimari oculis cuncta ad illuſtrandam hanc materiam apprime idonea ſors mihi conceſſit; vt absque oſtentatione vana, quam deteſtor, vere dicere haud pudeat, hac in cognitione nulli palmam concedere velle. Omni enim induſtria huic ſcientiae incubui, vt de veritate conuinci vellem, an detur re vera eiusmodi prodigium,

quod

quod virginitas nuncupatur, nec ne? ſiquidem, ni me fallat omnis memoria, praeter Seuerinum Pinaeum, Italum, et Melch. Sebizium, Argentoratenſem, nemo vmquam innotuit mihi, materiam qui hancce ex profeſſo pertractaſſet; quamquam et praedicti ambo rem omnem acu non tetigere, ſed praeiudicio imbuti, rationibus ferme obſcuris, dubiam propemodum huius reddiderunt veritatem, quum ex inſtituti modulo clariorem perſpicacioremque perficere, et a contradictionum caligine liberare debuiſſent. Qualiscumque enim doctrina, quamdiu a contradictionum veneficio nondum repurgata, veritatis prophylactico obmunita, et omni exceptione maior corroborata exiſtit, tamdiu decisionum norma et baſis in foro medico nuncupari nequit. His omnibus rite perpenſis, doctrinam de virginitate, obſeruationibus toties quoties repetitis, veram et indubitatam cunctis viribus euincere anniſus. Hinc in ſequentibus probare conatus:

I. Exiſtere indicia virginitatis incorruptae, ſimul ac defloratae, infallibilia.

II. Criterium virginitatis indiuiduale eſſe hymenem.

III. Virginitatem ſemel deperditam non admittere ſophiſticationem.

 Haec

Haec momenta pro virium ratione, haud ſecus, quam veritas rei poſtulauit, ad oculum demonſtrare, non cura mihi fuit mediocris, adeo, vt dubii veſtigium remanſiſſe vix crediderim. Nec me mouit cornicula furtiuis ornata coloribus, multo minus ſcriptorum ſcrinia compilaui, ſed, vt ſine cortice nare, ac propriis ex obſeruationum aucupiis veritatem eruere potis eſſem, omnes intentaui ingenii neruos. Hunc in finem non Thraſonico ad delineandum virginitatis criterium, ſed plano ac vulgari ſtilo vſus, phoenomenaque parallela, huius deflorationem concomitantia, experientia ſola duce explicare ſtudui. Quum autem in foro medico diſſentientium totidem millia, quot capita viuunt, in nullius iurare adductus verba, ſimpliciſſimae tramitem veritatis inepte exercui, vt cauſſarum nexus redderentur perſpicaciores; etenim haec perraro me alea fefellit, quum nihil carius, nihilque veritate ſit acceptius. Si nunc quid nouiſti rectius iſtis, Lector Beneuole, candide impertias precor, ſin minus, contentus viuito ſorte, et hiſce primitiis obſeruationum ex armamentario depromptis vtere pro lubitu, quas, ſi Deus vitam viresque ſuppeditauerit, electioribus locupletare non deſiſtam. Vale.

Q. D.

Q. D. B. V.

SECT. I.

Varias auctorum opiniones de virginitatis incertae dubio, et tandem vero, additis quibus cautelis, ſiſtit criterio.

Quum aliquot iam a ſeculis inter eruditos, phyſicos tam, quam anatomicos, controuerſia oborta, an detur virginitas? et quo in conſiſtat criterium eius authenticum? neſcio, quo ſidere factum infauſto, vt ad noſtra vsque propagata fuerit tempora doctorum diſcordia, et adhuc duret, nec vſquedum diſceptatio haec docta atque contentio transacta, et ex aequitate iuſta ſublata, quin potius iniudicata ferme fuerit relicta. Multi equidem praeclari viri, huius qui doctrinae certitudinem et infallibilitatem in medicina forenſi ad renunciandum atque diiudicandum admodum vtilem, et ad ſontes inſontesque diſcernendas omni ex parte neceſſariam putabant, cuncta ſane dirimere dubia, et veritatem ad oculum comprobare omnem, experientia allaborarunt. Factum quoque eſt eorum induſtria, vt antiquitatis praeiudicia remota, et ludicra de virginitate decreta fuere reiecta, ita omnia, longe vt antea, clariora perſpicacioraque ſint reddita: quandoquidem

autem illuſtres hi viri, de arte Machäonia praeclari, virginitatis ſigna modo generaliter attigerint, neque ad inſeparabilem huius reflexerint notam, et corruptionis atque deflorationis criterium indeterminate definiuerint, nec diſcernibile, aut eius characteriſticum adduxerint ſignaculum, ſed obſeruationum forſitan ex defectu, aut incuria, id nequiuerint, aut alia intentione politica renuerint, temporis tractu eo deuentum, vt virginitatis teſtimonia arguantur criminis falſi, paruaque ipſis tribuatur fides; quum tamen in toto nihil terrarum orbe cognitu facilius ſit illaeſa aut corrupta virginitatis nota, modo ad omnia a me dicta et propria ſaepiſſime obſeruata experientia attente reflectatur atque praemeditate. Certe ſi dicendum, quod res eſt, diuerſa eruditorum de virginitate opinio, ni me fallat omne iudicium, in ſufficientis cognitionis defectu veri virginitatis ſigni conſiſtit; quum multi propria deſtituti experientia, aliorum auctoritatem amplexi, hymenem membranam eſſe transuerſam, intus in vaginae vteri collo, prope vrethrae exitum ſitam, cribriformem crediderint, aliam alii de hac fouerint ſententiam (vti in ſequentibus adducetur); quum tamen, ſi talis modi membrana transuerſa cribriformis, ſimul ac aliae facetae et iocoſae hymenis ſpecies, variis ab auctoribus varie prolatae et deſcriptae, ab aliquo vmquam repertae fuiſſent anatomico aut phyſico, tamquam naturae luſus, qui raro alioquin obuenire ſolent, conſiderari atque reputari debuiſſent, et cum hymene vero a nobis deſcripto propullulaſſent ex vna neceſſario radice: ſiquidem interior hymenis membrana transuerſa adulterina, ſi vmquam exſtiterit, ex plicis rugisque vaginae interioribus, a natura ingenioſa ac foecunda in membranae formam expanſis, aeque ac communis et vulgaris hymenis membrana vera, a Seuerino Pinaeo et aliis deſcripta, et a me ipſo toties quoties αὐτόπτης obſeruata, ab integumenti cuticularis, rugis plicisque vaginae, ad orificium exterius vsque, quod oſtium vteri dicitur vaginae, protenſis et in continuitate expanſis, ortum traxerit, neceſſe eſt: cuilibet etenim anatomicorum ſuperque ſatis erit cognitum, integumentum vaginae interius, ſiue tunicam inteſtinam, variis ad facilitandum partus negotium rugis plicisque affabre eſſe conſtructam. Quum vero vlteriori huius

enoda-

enodationi ſectionem deſtinauerim ſequentem, iam diſſentientium varias auctorum omnis aeui opiniones de virginitate perluſtrabimus. Hos inter fuere aliqui

Virginitatis ſignum inſeparabile plenarie negantes, ſcilicet:

Claudius Galenus [a]), Oribaſius [b]), Aëtius Aemidenus [c]), Franciſcus Valeſius [d]), Ioannes Vaſſaeus [e]), Thomas Reineſius [f]), Andreas Laurentius [g]), Petrus Dionyſius [h]), Guido Creſcentius Fagenius [i]), Realdus Columbus [k]), Iacobus Cuiacius

a) Pergamenſis, Numiſiani diſcipulus, vixit ſub Imperio Marci Antonini Philoſophi, et conſignauit librum de diſſectione vteri.

b) Galeni conterraneus, inſignis alioquin ſuo tempore Medicus, Zenonis diſcipulus, vixit anno 360 ſub Imperatore Iuliano, et reliquit Collecta medicinalia, vbi lib. 14. cap. 32. affirmat: ſe numquam in diſſectione inueniſſe hymenem.

c) Religioni Chriſtianae addictus, vixit ſub finem XV ſeculi, et opus medicum congeſſit, quo in lib. 8. aſſerit, ſe hymenis praeſentiam pro ſexus foeminini morbo reputare, ideoque huius abſentiam virginitatis amiſſionem indicare neutiquam poſſe.

d) Caſtilianus, Regis Philippi II. Archiater, medio ſeculi XVI vixit, in libro de ſacra philoſophia virginitatem plenarie negat.

e) In Tabulis anatomicis negat virginitatem.

f) In Schola Iureconſultorum medica virginitatem denegat.

g) Montispeſſulanus, Regis Henrici IV. Archiater, vixit 1590. hic lib. VII. Anatom. cap. XII. Quaeſt. XIII. refert, ſe multas puellas III-IV-VI-VII. annorum, omnimodo virgines, immo et nonnullos foeminini ſexus foetus abortiue natos, inſtrumento exploratorio viſitaſſe, ſed nullam vmquam in vagina vteri reſiſtentiam a membrana quadam hymen dicta obſeruaſſe; ex quo concludit, hymenis membranam, vt virginitatis ſignum, dari minime.

h) Pariſienſis, Chirurgus ſat inclytus, qui non modo in Anatomia ſua Sect. II. p. 243. ſed et in Chirurgia ſua germanico verſa idiomate pag. 273. exiſtentiam hymenis plane negat.

i) Epiſtol. et Conſultat. medicinal. Tom. II. negat, hymenis membranam eſſe ſcientificum virginitatis ſignum.

k) Primo is equidem in opere ſuo Lib. II. C. XVI. egregie de carunculis a rupto hymene in vagina muliebri conſpicuis ac diſerte loquitur, et contra Bartholomaeum Euſtachium virginitatis ſignum in puellis defendere allaborat. Quum autem poſtmodum Romae in Noſodochio D. Mariae ſacro duas puellas, vnam IX, alteram XII. annorum in frequenti ſat hominum conſpectu publice diſſecuerit, neque hymenis membra-

iacius [l]), Thomas Sanchez [m]), Franciſcus Sanchez [n]), Horatius Augenius [o]), etc.

Nec minus fuere aliqui virginitatem et huius ſignum characteriſticum dubium plane maximeque fallibile pronunciantes, quibus praecipue annumerandi ſequentes:

Albertus Magnus [a]), Georg. Reichardus Hammerus [b]), Io. Fernelius [c]), Nicolaus Venette [d]), Hieronymus Capiuaccius

membranam omni ſtudio in his quaeſitam inuenire potuerit, aliorum auctoritate ſeductum ſe, publice confeſſus. Animum igitur mutauit, atque hymenis membranam, ſi talis modi vmquam exiſteret, pro praeternaturali membrana, mentulae intruſionem ſeminisque eiectionem prohibente, reputandam pronunciauit.

l) Profeſſor Iuris Toloſanus, Lib. XVII. Obſeruat. Cap. XX. virginitatis ſignum pernegat, dicitque: impoſſibile eſſe, eam explorare, nimio minus certitudinem huius ſtatuere.

m) Hiſpanus, ſocietatis Loiolitanae ſodalis, in opere ſuo permagno de Matrimonio Lib. 6. Diſputat. 113. num. X. virginitatis ſignum inſeparabile reale inter non entia collocat.

n) Medicinae Doctor et Profeſſor Toloſanus, in ſcriptis ſuis ſparſim editis priori adſtipulatur.

o) Profeſſor Medicinae Patauinus, Tom. II. Epiſt. et Conſultat. medicin. Lib. I. virginitatis clauſtrum, hymenem ſcilicet, plane negauit, ſtatuitque: Virginum genitalia, ratione ſtructurae, a mulierum pudendis nullo differre modo, neque haec inter vllum verſari diſcrimen, quandoquidem in puellis nihil magis reperiatur, quod non itidem in foeminis praeſto ſit, hinc quoque ſcientificum nullum virginitatis dari ſignum. Figmentum igitur renunciat virginitatis notam; et ſi forſitan in virgine reperiatur membrana talis modi, tamquam praeternaturale quid, virginum morbis commode accenſeri poſſit: vbi et ſexcentum rationes alias pro hymenis negatiua obtinenda affert, quas hic adducere iuxta ſeriem et ſuperfluum et inutile ducimus, quum neutiquam id probent, quod probare debeant.

a) Theologus Colonienſis et Scholaſticus, vixit ſeculo XIII. et librum de hominis generatione conſcripſit, in quo virginitatis notam decernit dubiam, futiliaque inſimul ſigna virginitatem probantia affert, quibus ex collectiuis forſitan quid probabile colligi poſſe arbitratur, dum vnum ſignum nihil probare poſſit, caetera ſi deficiant.

b) Iureconſultus et Philoſophus, in opere ſuo probatorio dubiam pronunciat virginitatis notam.

c) Medicus Pariſienſis et Archiater, vixit 1510. Lib. I. Phyſiol. Cap. 7. refert, adeſſe equidem hymenis membranam, ſed praeter naturae intentionem, ideoque dubiam vocat hanc veritatis indicationem.

d) Profeſſor Rupellenſis, in Tractatu

cius [e]), Codronchius [f]), Laurentius Ioubertus [g]), Io. Baptiſt. Syluaticus [h]), Franciſcus Ranchinus [i]), Franciſcus Moriſaeus [k]), Paulus Ammanus [l]), Godofredus Welſchius [m]), Fortunatus Fidelis [n]), Ioannes Riolanus Iunior [o]), Ioannes Bohnius [p]), Ambroſius Paraeus [q]), Rodericus a Caſtro

ctatu ſuo famoſo de generatione hominis, ex gallica in vernaculam verſo, Part. II. Cap. I. p. m. 66. ad pag. 77. incluſiue, multis argumentis, attamen haud ſtringentibus, virginitatis notam reddere incertam atque dubiam conatur.

e) Patauinus, vixit ſeculo XVI. in Tract. de ſignis virginitatis refert, virginitatis ſignum valde eſſe fallibile, quum hymenis membrana, ſi forſitan exiſteret, vt praeternaturalis corporis virginalis particula reputanda ſit, hinc virginitas intacta ex plurimis ſimul collectiuis cognoſcenda, nec vni ſolum vtpote infido credendum ſigno.

f) In Methodo teſtificandi Cap. II.

g) Conſiliarius Regis Galliae et Archiater, Lib. V. Cap. IV. Errorum popularium, virginitatis ſignum dubium plane renunciat.

h) In libro, cui titulus: de iis, qui morbum ſimulant, Cap. 9. incertum plane virginitatis indicium reclamat.

i) Medicus Lugdunenſis, Sect. I. Cap. 4. de morbis virginum, fallacem valde virginitatis notam aſſerit.

k) Francois Mauriceau, Chirurgus Pariſienſis, ſcripſit: Traité des maladies des femmes groſſes, ſiue Tractatum de mulierum grauidarum et parturientium morbis, in quo virginitatis ſignum fallax et incertum iudicauit.

l) Profeſſor Lipſienſis, vixit 1682.

m) Profeſſor itidem Lipſienſis, vixit 1660, vterque virginitatis notam publico in reſponſo dubiam renunciauit; vid. Io. Frider. Zittmanni Medicin. forenſ. Caſ. 65. p. m. 748.

n) De Relationibus medicis, Lib. 3. C. 1. incertum plane virginitatis indicium ſtatuit.

o) Natione Gallus, Anatomiae et Botanices Profeſſor Academiae Pariſienſis et Regis Conſiliarius aulicus, vixit 1630, edidit Anthropographiam, vbi Lib. II. Cap. 38. hymenem pro parte corporis monſtroſa reputat, et fallacem hanc virginitatis notam aſſerit.

p) Profeſſor Lipſienſis celebris, vixit initio XVII. ſeculi, et in Tract. de Officio medici Part. II. Cap. 6. item in Tract. de renunciationis difficultate p. 636. ſtatuit, defectum membranae hymenis non eſſe manifeſtum virginitatis laeſae ſignum.

q) Pariſienſis, diuerſorum Galliae Regum Chirurgus aulicus, vixit 1580, in libro de hominis generatione Cap. 38. et 42. profert, puellam aurifabri Pariſienſis absque hymenis dilaceratione fuiſſe impraegnatam; hinc ſtatuit, hymenem eſſe ſterilitatis cauſſam, et praeternaturale quid, quoniam feminis maſculini in aruum muliebrem ejaculationem praepedire eo videatur.

ſtro [r]), Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, ſiue Aculenſis [s]), etc.

Agmen auctorum tandem claudunt illi, extra omne dubium qui virginitatis infallibile ſignum clauſtrum quoddam virginale, hymen quod dicitur, illibatis in virginibus adeſſe ſtatuunt, atque probant, quos inter praecipui ſubſequentes:

Ruffus Epheſius [a]), Hippocrates Cous [b]), Nicolaus Maſſa [c]), Mundinus [d]), Andr. Veſalius [e]), Gabriel. Fallopius

r) Iudaeus et Medicinae Practicus Hamburgenſis, vixit ibidem 1612, et edidit Medicum politicum, ſiue de officiis medico-politicis, in 4to, in quo Lib. IV. Cap. II. arctitudinem vaginae vteri maximum virginitatis ſignum, illudque valde dubium eſſe renunciat.

s) A loco natali, ciuitate Italiae quadam, Aquapendente dicta, nomen ſortitus, vixit 1600 vt Profeſſor Anatomiae Patauinus, in Tract. de formato foetu, et totius animalis integumentis profert, ſe ancillam omnibus cum diſcipulis cohabitantem ſuis, attamen hymenem inuiolatam retinentem, habuiſſe in ſeruitiis, quapropter publice renunciauit, hymenem, ad virginitatis cognitionem, infidum plane eſſe ſignum.

Sequuntur auctorum veram et certam virginitatis notam ſtatuentium ſcripta, nomina quorum paulo ante iuxta numerum allegata fuere.

a) Vixit ſub Imperatore Traiano ſeculo XII. et in ſcripto ſuo myalogico hymenis exiſtentiam affirmat. Fuit is omni absque dubio tubarum vteri inuentor, quarum inuentionis gloria Fallopio, a quo denominationem nactae, ſiniſtre tribuitur.

b) Venerandus Medicorum atavus, in libro, cui titulus: de his, quae ad virgines ſpectant, virginitatem veram, eiusque ſignum notorium ſtatuit.

c) Floruit is Venetiis 1560, editque librum anatom. introductor. in quo panniculum rugoſum ligamentis et venis inuicem ligatum, in deuirginitate laxatum et ruptum, pro vero virginitatis criterio reputat.

d) Vixit Mundinus circa annum 1305, et conſcripſit librum de anatome omnium membrorum interiorum corporis humani, vbi virginitatis notam, panniculum hymeneum nuncupat, os matricis obſtruens.

e) Profeſſor Anatomiae Patauinus et Caroli V. nec non Philippi II. Archiater, vixit 1537. et diuulgavit Anatomiam, vbi Lib. V. Cap. XV. teſtatur, hymenem, virginitatis tamquam ſignum, in omnibus neceſſario intactis inueniri virginibus carnoſum.

pius [f]), Iulius Caſſerius [g]), Auctores Commerc. literarii phyſici [h]), Auicenna [i]), Felix Platerus [k]), Alexander Benedictus [l]), Iulius Caeſar Scaliger [m]), Io. Wierus [n]), Ido Wolffius [o]), Caſpar. Bauhirus [p]), Piccolominus

f) Modenenſis, Profeſſor Anatom. Patauinus, vixit 1546. et Obſeruationes anatomicas conſignauit, in quibus probare annititur, eſſe verum virginitatis ſignum, hymenem ſcilicet, qui, ceu membrana plane neruoſa, in omnibus virginibus caſtis adeſſe debeat.

g) Caſſerius, Aquapendentis famulus, et poſtmodum in profeſſione anatomica huius ſucceſſor, veſtigia magiſtri ſui de virginitate non calcavit. Vixit Patauiae ſeculo XVI. ediditque Tabulas anatomicas, in quibus virginitatis notam veram ſtatuit.

h) Sic quoque in Commercio literario phyſico-technico-medico Norimbergenſi de anno 1732. p. 46. legitur, hymenem, virginitatis tamquam ſignum, in medio pudendorum vaginae exiſtere.

i) Fuit Medicus Arabs et Philoſophus ſuo tempore, vixit anno 996. et Lib. 3. Canon. defin. 21. Tract. I. C. 1. in fine adſtruit, virginitatem eſſe membranam meris venis intertextam. Integrum huius nomen eſt: Abuhali Elhuſein Ibn Addalla Abenſina vel Ibnuſina.

k) Profeſſor Medicinae, et Senatus Baſilienſis membrum, vixit Baſiliae 1560. et Tabulas anatomicas edidit, vbi hymenem virginitatis verum eſſe ſignum probat.

l) Alias Alexander Paeantius Benedictus, Veronenſis, vixit vt Profeſſor Medicinae Patauinus celebris, tempore Imperatoris Maximiliani I. anno 1495. et Anatomen conſcripſit, in qua hymenem verum virginitatis ſignum aſſerit.

m) Medicus, Philoſophus, Poëta et Criticus, vixit 1490. edidit inter alia, Exercitationes aduerſus Cardanum de ſubtilitate, vbi Exercit. 175. Sect. I. hymenis exiſtentiam ſequentibus affirmat. Eſt radix quaedam mirifica venerem ſtimulans, ſuper quam ſi virgo illibata vrinam reddiderit, illico virginem turgere aiunt libidine. Si puellae, quae praeſunt paſcuis, ſuper ea ſedeant, aut vrinam faciant, eis perinde rumpi naturae membranam, ac ſi a viro fuerint vitiatae; item in Commentar. Lib. II. Hiſtor. animal. t. 51. hymen virginitatis eſt ſignum, facitque, vt virgo illibata mingendo vrinam in altitudinem conſpergere poſſit.

n) Alias Piſcinarius, ſagarum fuit patronus, vixitque vt Archiater Ducis Cliuiae, 1540. ſcripſit librum de lamiis et praeſtigiis, vbi Lib. 3. de lamiis, Cap. 20. adſtruit virginitatis certitudinem ſequentibus. In omnibus virginibus intactis hymen, vt virginitatis verum ſignum, reperitur.

o) Principis Serueſtani Medico-Chirurgus aulicus, vixit 1640. ediditque Obſeruationes chirurgico-medicas, quarum duo proſtant libri, in quibus teſtatur, ſe Pataui inueniſſe hymenis membranam.

p) Profeſſor Anatomiae Baſilienſis et Archiater Würtembergenſis, vixit 1580. et diuulgauit Theatrum anato-

nus [q]), Io. Guintherius Andernacus [r]), Iacob. Berengarius Carpenſis [s]), Ioannes Munnichius [t]), Io. Baptiſt. Morgagni [u]), Guilielmus Ballonius [x]), Ludouicus Mercatus [y]), Frideric. Ruyſchius [z]), Regnerus de Graaf [a]), Melchior Sebizius [b]), Volcherus Coiterus [c]), Conſtantin. Varolius [d]), Caſparus Bar-

anatomicum, in quo Cap. 39. Lib. I. enunciat, exiſtere in virginibus intactis clauſtrum virginale, hymen dictum; quod membrana eſt carnoſa, coniformis, qua disrupta, carunculae myrtiformes oriuntur.

q) Archangelus Piccolominus, Medicus Ferrarienſis, vixit 1600. et Praelectiones anatomicas conſignauit, vbi Lib. 3. 9. adſtruit, hymenem ſeu virginitatis membranam in omnibus intactis ſemper adeſſe debere puellis, ſed araneæ texturam adaequare atque exilem et tenuem eſſe.

r) Romani Imperii Eques, vixit 1506. et Inſtitutiones anatomicas conſcripſit, in quibus Lib. I. hymenem virginitatis eſſe notam, ſtatuit.

s) Lector Chirurgiae Bolognenſis, vixit initio ſeculi XVI. et Iſagogen anatomicam edidit, vbi pag. 10. affirmat, in omnibus virginibus pudicis hymenem virginitatis eſſe notam, atque membranam retiformem venis fibrisque ligamentoſis contextam.

t) Munnichius Librum de re anatomica diuulgauit, in quo hymenem eſſentialem virginitatis partem eſſe adſtruit.

u) Aduerſaria anatomica publicauit, vbi ſententiae noſtrae adſtipulatur auctor.

x) Ballonius Tractatum de virginum et mulierum morbis conſignavit, in quo hymenem virginitatis ſignum ſtatuit.

y) Mercatus Librum de morbis virginum edidit, vbi hymenis membranam virginitatis verum eſſe ſignum, affirmat.

z) Profeſſor Anatomiae Leydenſis, Obſeruationes anatomico-chirurgicas diuulgauit, in quibus n. 22-23. virginitatis incorruptae ſignum hymenem ſeu clauſtrum virginale eſſe, proponit.

a) In Tractatu de mulierum organis generationi inſeruientibus, cui titulus: Tractatus nouus demonſtrans, tam homines et animalia caetera omnia, quae viuipara dicuntur, haud minus, quam ouipara, ab ouo originem ducere. in 8uo. Lugd. Batau. 1672, vbi hymenem virginitatis verum probat ſignum.

b) Medicinae Doctor et Profeſſor Argentoratenſis, in Tractatu ſuo de notis virginitatis ſe hymenis teſtem ocularem praedicat, et exiſtentiam eius veram affirmat p. m. 356.

c) Coiterus aut Coiter, Phyſicus Norimbergenſis, vixit 1550. edidit Exercitationes anatomicas humani corporis, quae Louanii 1653 in fol. typis excuſſae, vbi hymenem verum virginitatis ſignum aſſerit.

d) Pontificis Maximi Gregorii XIII. Archiater, Anatomiam conſcripſit, vbi Cap. 4. hymenem copulam membranoſam eſſe, et ex pudendo-

Bartholinus [e]), Herm. Frider. Teichmeyerus [f]), Io. Adam. Kulmus [g]), Petrus Foreſtus [h]), Chriſtoph. Henr. Keilius [i]), Stephanus Blanckhardus [k]), Ioannes Swammerdamius [l]), Philipp. Verheynius [m]), Laurentius Heiſterus [n]), Antonius Maria Valſalua [o]), Io. Veslingius [p]), Georg. Henr. Behrius [q]),

C 3 Seuerus

dendorum nymphis in ima parte connexis oriri docet; vixit 1550.

e) Natione Danus, at in eruditione Polyhiſtor, Inſtitutiones anatomicas diuulgauit, vbi p. m. 133. hymenem, ſeu membranam Eugion, clauſtrum virginale aliis dictum, veram virginitatis eſſe notam contendit.

f) In Academia Ienenſi Profeſſor ſat inclytus, Inſtitntiones medicinae legalis congeſſit, quibus in p. m. 23. virginitatis exiſtentiam ſequentibus confirmat: Ex his adeo luculenter apparet, de hymenis exiſtentia, tamquam virginitatis nota, non eſſe dubitandum.

g) Profeſſor Athenaei Gedanenſis orbi erudito haud ignotus, Praeceptor quondam meus venerandus νῦν ἐν ἁγίοις, Tabulas anatomicas conſignauit, hasque figuris nitidis illuſtrauit, vbi Tabul. XXVI. p. m. 158. hymenem membranam, orificium vaginae vteri ambientem, ex qua dilacerata carunculae fiant myrtiformes, aſſerit eſſe.

h) Obſeruationes et curationes medicinales edidit, vbi Obſeruat. 55. noſtrae adſtipulatur ſententiae.

i) Medicinae Doctor et Phyſicus Wundſidelenſis, Enchiridion anatomicum germanico idiomate conſcriptum edidit, vbi Cap. IV. p. m. 56. virginitatis veram notam, noſtrae opinioni conformem, detexit.

k) Medicus Batauus, varia edidit ſcripta phyſica tam, quam phyſiologica, in quibus ſparſim de virginitatis ſigno mentionem facit, imprimis autem Lexicon medicum divulgauit, in quo ſub voce Hymen, varias auctorum opiniones de hymenis qualitate fugitiue adduxit.

l) Swammerdamius, orbi medico minime ignotus, Tractatum conſtruxit, cui titulus: Miraculum naturae, ſiue vteri muliebris fabrica, in quo virginitatis exiſtentiam vberrime tetigit.

m) Profeſſor Anatomiae Louanienſis vixit 1693. Anatomiam corporis humani promulgauit, vbi p. m. 84. hymenem verum virginitatis ſignum reputat.

n) Profeſſor Anatomiae et Chirurgiae Helmſtadienſis, inter multa concinnata ſcripta et Compendium anatomicum in vernacula noſtra edidit, vbi pag. 81. et 207. hymenem virginitatis ſignum eſſe affirmat.

o) Profeſſor Anatomiae Bononienſis, in ſcriptis ſuis anatomicis ſparſim editis hymenem virginitatis eſſe ſignum, adſtruit.

p) Natione Weſtphalus, R. I. Eques et Profeſſor Patauinus, ſyntagma anatomicum edidit, in quo Cap. 7. virginitatis materiale hymenem eſſe docet.

q) Medicinae Doctor et Practicus Argentinenſis, permulta edidit ſcripta, haecque inter Phyſiologiam medicam, vbi pag. 62 ad 64. de virginitate

Seuerus ſeu Seuerinus Pinaeus r), Adrian. Spigelius s), aliique.

SECT. II.

De virginitatis exiſtentia.

Praemiſſis nunc negantium, dubitantium atque affirmantium auctorum nominibus eiusque ſcriptis, neceſſe erit, vt nonnulla eorum argumenta enodemus ſtringentia, quo veritas eo clarior perſpicatiorque reddatur omnibus; quandoquidem haec modo vnica ſit, atque in aeternum manebit immutabilis. Si etenim rite perpendamus, quam medicorum veneranda priorum temporum propago pro virginitate exploranda adhibuerit induſtriam, illorum inſcitia in re anatomica, quam alii, horum auctoritate ſiſi, coeco impetu amplexi, facile eluceſcet. Sic Andreas Laurentius virginitatem in hymene, membrana ſcilicet quadam vaginae cauitatem vndequaque cingente cribriformi,

ginitate ſequenti modo loquitur: Hymen in omnibus veris virginibus reperiri debet et poteſt, quandoque et ipſe ego in variis diuerſae aetatis virginibus, annorum ſcilicet XXV-L. et LXX reperii. Hinc primo coitu, niſi mentula nimis tenuis, merito rumpitur, niſi antea iam ruptus fuerit, et eiusdem ruptio et exinde orta cruentatio certiſſimum virginitatis ſignum exiſtit.

r) Famoſus ille virginitatis reſtaurator, qui eius exiſtentiam et notas lucide detexit in Opuſculo ſuo phyſiologico et anatomico, orbi medico communicato, in quo Cap. 5. Lib. I. ad oculum propria edoctus experientia demonſtrauit, hymenem in virginibus exiſtere caſtis, et carnoſam admodum eſſe membranam coniformem, qua ex disrupta, carunculae myrtiformes oriantur.

s) Bruxellenſis, Eques Diui Marci, olim in Gymnaſio Patauino Anatomiae et Chirurgiae Profeſſor primarius, Tractatum de corporis humani fabrica congeſſit, vbi Lib. IV. certum virginitatis ſignum hymenem appellat, et ſemper in virginibus illibatis adeſſe, atque pro aetatis diuerſitate in teneris ſubtilem, in adultioribus vero firmiorem eſſe ſtatuit. His quoque annumerandus Paulus Zachias, Papae Innocent. X. Archiater, qui Romae vixit 1630. et in Quaeſtionibus ſuis medicinae legalibus Lib. IV. Tit. 3. hymenem quoque ad certas virginitatis notas refert.

briformi, conſiſtere putauit, ita, vt ſi exploratorium quoddam virginis intactae intruderetur vaginae, haec membrana huius intruſionem praepedire deberet. Quare quum puellulas quasdam III. IV. VI. et VII. annorum inſtrumento viſitaſſet exploratorio, harumque introitum ab hacce membrana liberum obſeruaſſet, ita vt exploratorium absque reniſu intrudi pudendis poſſit, hymenem pro non ente reclamauit publice; quum tamen non hymenis defectus, ſed auctoris tantummodo peruerſus de hoc conceptus veritati repugnauerit. Hoc ex fundamento quoque Aëtius Amidenus, ſi iuxta eius ideam exiſtibilis vmquam fuiſſet, pro affectu morboſo reputauit hymenem, quum talis modi membrana, ex mente auctoris, interiorem vaginae ambitum vndequaque cingens, ſeminis eiaculationi primo in concubitu obſiſtere neceſſario deberet; quam opinionem Realdus Columbus aliique ſectati. Petrum autem Dionyſium, inclytum ſat noſtro ſeculo chirurgum gallicum, quod concernit, qua ratione is hymenem portentum gorgoneum adaequare, ideoque huius exiſtentiam plane negare voluerit, nulli cauſſae, niſi virginum gallicarum laſciuae petulantiae, adſcribi potuerit: quandoquidem illae, vtpote zona ſub calidiori viuentes, oeſtro venereo turgidae, cupidini ſuae tenera iam ſub aetate, aut inſtrumento quodam ad actum huncce laſciuum adaptato, (de quo auctor ille famoſus libri editi, cui Onania titulus, fuſius loquitur), aut viri mentula ſatisfacere omni modo ſtudent: vnde hymenis abſentia, quae a praedicto Dionyſio Gallo, qualibet ſub exploratione, obſeruata fuit ſemper, dependere tunc temporis debuit neceſſario.

Si dubitantium auctorum, qui equidem virginitatis exiſtentiam veram, ſed cognitu arduam ac in exploratione non modo difficilem, ſed et infidam iudicarunt, paulo curatius perluſtremus mentem, hos peruerſa virginitatis idea, ſiniſtroque conceptu impraegnatos reperiemus. Criterium etenim virginitatis genuinum (relicta vera hymenis notitia, huiusque, tamquam indubitato virginitatis intactae ſigno, ſufficienti cognitione) in orificii arctitudine, aut vaginae anguſtia, repoſuerunt atque collocarunt. Enimuero, quum in virginibus quibusdam defloratis, partum neutiquam enixis, quas illibatas iudicabant, orificium

ficium vaginae amplum atque extenſum, in aliis vero deflora-tis, partum quoque editis, vaginae anguſtiam, huiusque ori-ficii arctitudinem obſeruaſſent, ratione absque ſufficienti ſta-tuerunt: hanc vaginae anguſtiam absque viri congreſſu am-pliari et dilatari poſſe; quoniam et in foeminis quibusdam ma-ritatis, partumque ſaepiſſime expertis, vteri vaginam, huius-que orificium et anguſtum, et conſtrictum, nec a virginibus talis modi alienum, in nonnullis vero itidem foeminis vterque dilatatum, ſpatioſumque animaduertiſſent, atque in promtu eſſe remedia ſciuiſſent, quae orificio ſtricturam et vaginae an-guſtiam procurare de nouo potis eſſent. Quum itaque inter rationes probabiles, (dum nulla, praeter vaginae arctitudinem, ipſis ſuperfuerit vera virginitatis nota) probabiliori ſuffragan-dum rati, ex duobus malis eruere minimum, et virginum ca-ſtitati potius et famae patrocinari, quam immaturo ſuo iudicio virginum honori obeſſe, et harum gloriae repugnare volue-runt. Has ergo in partes ire dubias haec eos adegit ratio, vt virginitatis notam ſuſpectam infidamque pronunciarent, ſuffi-cientis cognitionis defectu.

Tertia denique affirmantium claſſis, quum acutiori men-tis indagine anteceſſorum ſuorum de virginitate decreta exa-minaſſet, haecque omnia debili niti fulcro vidiſſet, virginita-tis notam characteriſticam peritius perſcrutati, hanc in prin-cipiis anatomicis fundatam inuenerunt, ſequenti modo defi-niendam:

Eſt virginitas corporalis ſiue phyſica, materialis quaedam virginum pars quantitatiua, non putatitia, ſolis intactis pro-pria; et conſiſtit in membrana quadam validiori, protuberantiis quatuor fibroſo-carnoſis, ex interiori vaginae integumento progenitis, intertexta, et in continuitate concreta: vaginae orificium exterius in gyrum cingens, plus, minus, pendula. Haec prolongatio membranae conum inuerſum aliqua ex parte repraeſentat, et hymen dicitur, cuius mucro anguſtam reliquit rimam digiti auricularis vix capacem, menſium et omnium repurgationum exitu, atque mentulae ingreſſu deſti-natam, a qua poſtmodum, legitimo in concubitu, huius pro craſſitie aut in tantum ampliatur, aut in totum dilatatur, vel

plane

plane dilaceratur haec membrana. Qua ex dilaceratione ac ruptura, carunculae quatuor myrtiformes in conſpectum prodeunt, quae nihil aliud ſunt, quam protuberantiae prius allegatae fibroſo carnoſae, ſeu fulcra hac cum membrana intime connexa, et pro validiori robore cum ipſa progenita. Virginitatis ergo verae pro criterio auctores citati certo exiſtimarunt membranam deſcriptam: quae praepotens veritatique conſona ad noſtra vsque tempora non modo praeualuit opinio, ſed obſeruationibus toties, vtut quoties comprobata indubitatis, durabit in aeternum.

Superuacuum ſane et inutile aggrederer opus, Aethiopemque dealbare quaſi conarer, ſin de virginitatis exiſtentia conſcripturo mihi perſuaſum habere firmiter omni exceptione maius poſſem, virginitatis hymenem ſaltim eſſe chimaeram, fabulamque inanem phyſicorum praeiudiciis aut ſuffultam, aut eruditorum ſpeculationibus progenitam; quum non ſolum ſacrae literae Deuteronom. C. XXII. v. 15. 17. omne de hac dubium nobis auferant, ſed ipſa quoque experientia anatomica, teſtis tamquam ocularis, omni dubio atque refutatione maior, id nobis teſtatum faciat abunde. Quandoquidem et in foro ſoli ad delictum alterius probandum duo teſtes oculares plus valeant, quam auriti decem, quid quaeſo in foro medico-phyſico centum teſtes oculares valebunt? nonne hi mille auritis, nudis duntaxat aliorum fretis commentis, aut anatomen haud dextre tractantibus, aut praeiudiciis auctoritatum imbutis, repugnabunt? Omnino ſane! Duae etenim dantur viae, veritates anatomico-phyſicas reddere probabiles, aut culter anatomicus in demonſtratione theoretica, aut ocularis inſpectio in exploratione practica, tertius neutiquam inueſtigandi datur modus, quicquid et in retro annis, aliquorum ſplendida auctoritatis miſeria mentis aciem obſcurauerit, qui aliorum enunciatione fiſi, ex charta in papyrum conſcripſere figmenta, veritatis ſpeciem haud obtinentia, ſed poſteritatem inueſtigatione absque vberiori decipientia plane. Quum autem, iuxta Polytrilleton, mundus regatur opinionibus, ſapientis ſane erit, vt a vulgi coetu ſe diſtinguat, neque multorum prolatis absque inquiſitione ad-

 ſtipuletur,

ſtipuletur, neque paucorum adſertis omnem absque perſcrutatione deroget fidem, ſed cuncta prius rationis ſub incudem reuocet, aut experientiae propriae aut doctiorum Lydio exploret lapide, neceſſe eſt, vera ſint an falſa, excogitata an ſuppoſita, ſicque omne dubitationis non modo remouebit ſaxum, ſed et ipſam e tenebris eruere veritatem valebit. Certior profecto ſana eſt ratio, miniſtrante experientia, duce qua inter mille nugas et inania ſomnia latens mens inuenit verum. Cui etenim aethereus eſt animus, quique ingenio valet, mox veritatem aſſequetur, huicque viribus inhaerebit totis: et quum veritas ſimpliciſſimum ſit ens, atque vna eademque ſemper, ſapiens, ſpretis omnibus erudite excogitatis aliorum figmentis, hanc adamabit. At craſſa obtuſaque ingeniorum quorumdam turba non videt hanc lippis oculis, hinc maximus error vanaque credulitas, tenaxque et coeca plurimorum opinio. Non omnes enim, vera qui profitentur ſua dogmata, eandem candidae veritatis calcant ſemitam. Aliqui etenim propriis experientiae ac rationis oculis perluſtrare veritatem ſtudent, et hi ſolummodo recto incedunt tramite, nec vmquam errare poterunt; alii armato ad inueſtigandam veritatis viam vtuntur oculo, eruditorumque perſpicillo, doctisque aliorum nituntur prolatis, hisque ſecure fidunt, relicta propria rationis et experientiae ope inſtituenda inueſtigatione. At hoc modo humana mens, tam cito, tamque facile lucem veri attingere nequit, ſed falli ſolet ipſa frequenter, et caecutire videtur tenus hac, vsquedum proprio disquirere conatur marte, quam calcauit viam, vera ſit an falſa; haec ergo ratio eſt, cur tam diuerſae ſectae et contraria oriantur dicta. Hic ait, ille negat: et dum vnam ex his amplectimur opinionem, decipimur facile, quum probabiliori absque ſcrutinio ſententiae ſuffragari nitimur, licet quoad principium ſit falſa, fucoque veritatis, vt ſpeciem huius obtinere poſſit, modo oblinita. Nil ergo hodienum eruditis quidquam falſum aut verum in phyſicis et anatomicis videri merito debet, niſi propria, et aliorum ratione, toties quoties perpolitum et repetita decies experientia comprobatum ſit. Haec itaque fuit ratio, quae auctorum totam propria edoctorum experientia turbam ad confeſſionem adegit

publicam,

publicam, dari virginitatis ſignum verum, hocque in hymenis nexu legitime conſtituto, vi definitionis praecedentis, ſolummodo collocari, ita vt nullum prorſus reſtet dubium, eſſe virginitatem aliquid reale. Quodſi vero non tanto teſtium numero corroborata eſſet noſtra de virginitate ſententia, veritatem aſſerti noſtri euincere, nihilominus mihi haud foret difficile, quamdiu ratiocinandi methodus ſeruari ſuperſtes poterit. Haec etenim omni carior auro eſt, quoniam mendacium a veritate et fraudem a virtute optime hac diſcernere poterimus, quod tamen auro factu impoſſibile. Igitur his ſtabilitis periculum faciam, iuxta demonſtrandi principia, virginitatis enodare exiſtentiam. Omne nimirum ens phyſicum eſt aliquid reale, hinc merito exiſtat, neceſſe eſt; ſi enim non exiſteret, merum eſſet ens rationis atque metaphyſicum, de quo nobis iam non eſt ſermo. Si autem aliquid reale in rerum natura exiſtit, illud certis carere ſuis nequit attributis, quoniam non enti tantum competunt nullae affectiones. Quum vero virginitas plurimorum ex ſententia phyſicorum, ſignum tamquam euidens, atque criterium conuincibile inter nuptam et coelibem ſequioris ſexus perſonam ſit reputatum, neceſſario ens aliquod reale, certis praeditum attributis eſſe creditur, et conſequenter exiſtere debet. Huius rei veritatem experiuntur adhuc dum, et teſte Hippocrate experti ſuo aeuo ſunt omnes, qui puella cum illibata amplexum inire cupiunt venereum, eſſe ſcilicet aliquid impedimenti in pudendorum aprico, quod, ob ſtricturam, Priapi intruſionem difficiliorem reddat, ita vt magno non absque niſu et conamine, permodice licet mentula duntaxat craſſa ſit, vaginae cauitatem muliebris intrare queat: quae vero reſiſtentia poſt amplexum actiuum euaneſcat, vt nullus, reiterato cum puella talis modi concubitu, ſentiatur cum intruſione reniſus. Quum autem in viduis vxoribus, partum licet enixae nullum, neutiquam exiſtat tentato concubitu impedimentum, quod mentulae in vaginam intruſionem cohibere ob compreſſionem poſſit, teſte experientia; puellae autem depoſitionem paſſae, ſobolem licet non procreauerint, ab vxoribus talis modi viduis ratione genitalium diſcerni nequeant, ſequitur, quod virgo pura et intemerata in ipſo amoris actu aliquid per-

dat, quod ipſi, tamquam virgini intactae, fuerit proprium characteriſticum, quodque illam antea a foemina maritata, et a puella iamiam depoſita diſtinguere potuerit. Huius veritatem dicti antiquitatum exemplis illuſtrabimus. Enimuero genuino cuilibet hiſtorico ſatis erit cognitum, feras barbarieque aſperas gentes paganiſmo addictas, orientem verſus et meridiem ſitas, vetuſtiſſimis iamiam temporibus virginitatem, magni quam aeſtimabant, idolis ſuis duplici ex cauſſa immolaſſe. Primo, virginitatis deflorationem rem eſſe arduam ſciebant atque ſenſibilem, recuperationi aurei velleris aequiparandam et quum inaeſtimabilem cenſerent, ſacrificio dignam iudicabant, vt nihil ſe adeo magni facere teſtarentur, quod idolis haud ſponte ſacrificarent. Secundo, vt ſponſus eo promptius atque alacrius munia ſua coeundi ſubire poſſet, ſin per ſacrificii actum pudendorum arctitudo a virginitatis hymene reſeraretur, obſtaculumque ex hymenis remotione primo in congreſſu auerteretur, quo vllo absque impedimento intrare vaginam vteri poſſet verpa, nec in libidinis exſtinctione taedium perſentiſceret. Hac ex ratione Romani virginitati fanum poſuerunt, immani idolo [a]) generali, tamquam virginitatis omnis debellatori, Priapo ſacrum, in quo ad eius honorem flos virginitatis nullo aere

a) Virginum nubentium hymen ſeu illarum virginitas Priapo immolabatur, vt vim generandi adipiſcerentur. Quod ſimulacrum repraeſentabat virum nudum ſcabello inſidentem rotundo, dextra manu qui ſceptrum, ſiniſtra vero rigidum veretrum, pedalemque faſcinum ſuum tenebat intentum. Ad huius ſinum deferebantur virgines immolandae, vt alleuatis veſtibus et extenta podice illarum pudendis intrudi a tergo poſſet veretrum Priapi immenſum, pedaleque rigidum, quo maximo cum dolore non ſolum plenarie hymenis diſrumpebatur membrana, ſed et vagina vteri mirum in modum exampliabatur, de quo pluribus legi meretur Auguſtinus lib. IV. de Ciuit. Dei cap. II. et Suidas. Hinc Arnobius Lib. IV. Etiamne Mutunus, cuius immanibus pudendis horrentique faſcino, veſtras inequitare virgines, et auſpicabile ducitis et optatis. Et Lactantius Lib. I. Cap. XX. Mutinus, in cuius ſinu pudendo nubentes praeſident virgines, vt illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur. Priapus vero Romanis dicebatur Mutunus ſiue Mutinus, quod nomen non a motu, quia, vt inanimatum ens, motu carebat omni, immotusque ſemper ſedebat, ſed a Mutone ſortitum, vtpote quod latinis membrum denotat, quo viri ſumus, ideoque valentes ea parte, Mutoniati dicuntur.

aere recuperandus immolaretur, nubentibusque virginibus fertilis econtra procuraretur, atque pronus ad concipiendum praepararetur venter. Simili modo [b]) Armenii in Aſia Anaitis fanum virginitati ſacrum voluerunt, vt hymenis pretium inaeſtimabile oſtenderent omnibus. Dum autem illud, quod vaginae orificium reddit arctum, huiusque introitum difficilem, quodque ab intruſione veretri immanis idoli Mutini puella perdit, verum ſit hymenis ſignum, atque virginitatis nota, ex qua virgo illibata cognoſci poſſit, ita vt puella, quae tali inſtructa reperiatur pudendorum clauſtro, vera appellitetur virgo vnanimi conſenſu, ſequitur, quod tale introitum vaginae praemuniens impedimentum pro hymenis membrana, aut virginitate completa, reputari debeat. Vnde antiqui carminis auctor cecinit:

Eſt magnum crimen, perrumpere virginis hymen.

Quare et Phoenicenſes, referente Athanaſio, virgines ſuas ante coniugium prima nocte ſeruis ſuis tradiderunt deflorandum, quo taedioſum atque permoleſtum hocce onus, hymenis ſcilicet disruptionem, ſubſequenti in concubitu remouere a ſe poſſent. Ex allatis igitur eluceſcit: virginitatem eſſe aliquid reale, non hypotheticum, ſed phyſicum, certis dotatum affectionibus, nec vllo modo in dubium vocari poſſe.

 SECT.

b) Sic refert Strabo et Agathias Lib. XI. Armenios virginum ſuarum hymenem idolo ſuo Anaitidi publice immolaſſe. Simili modo in fano Attidis, quod adoleſcentum virginitati et pudicitiae ſacrum fuit, adoleſcentes euirabantur, vt caſtam agerent vitam, neque puellarum virginitatem defraudare valerent. De quo Prudentius hymno in Romanum:

Aſt hic metenda dedicat genitalia
Numen reciſo mitigans ab inguine:
Offert pudendum ſemi-vir donum Deae;
Illam reuulſa maſculini germinis
Vena, effluenti paſcit auctam ſanguine.

Hocce ſacrificium vero ad cantum tibiae inſtituebatur, de quo Auguſtinus Lib. VII. de Ciuit. Dei Cap. XXVI. ita refert: Ea euiratio fiebat ad tibiae cantum, quae res et furenti rabie ſtimulabat ad exſectionem, et caſtratis mox dolorem minuebat. Vnde Ouidius in Ibin:

Attonitusque ſeces, vt quos Cybeleia mater
Incitat ad Phrygios, vilia membra, modos.

Confer. Tibullus Lib. I. Eleg. IV.

SECT. III.

Infallibile virginitatis ſiſtit criterium, huiusque encomium.

Inter praecipuas virtutes, quae commendare hominem Deoque gratum reddere poſſunt, non infima cenſetur caſtitas, vtpote quae a Spiritu ſancto, caſto ac puro Ente, ſacro in Codice hinc inde extollitur, multisque praeclaris corroboratur exemplis atque teſtimoniis. Quum autem caſtitas libidinum ſit retentio omnium, tam moralium quam phyſicarum, hinc diſpeſcitur in ſpiritualem aut moralem, et phyſicam ſeu corporalem, quae et materialis dicitur. Prima conſiſtit in cogitationum laſciuarum refraenatione et reſiſtentia, vel idearum libidinoſarum repurgatione: quum virgo, quae de concubitu gratas ſibi formare repraeſentationes aut imagines ideales fingere conſueuit, harumque ex contemplatione amoena viri amplexum et optat, et voluptate huius frui cupit, libidinoſas haſce cogitationes auxiliante Deo ſanctis commutare ſtudet meditationibus. Quibus et Palingenius [a]) adſtipulatur:

Nemo tamen virgo eſſe poteſt, niſi cui Deus adſit,
Auxiliumque ferat; donum hoc deſcendit Olympo,
Humanis meritis, humanis viribus impar.

Nec non Baſilius Magnus in ſermone de vera virginitate: Mulierem non noui, et tamen non ſum virgo; et paulo poſt, vbi virgines ſacras admonet: Oportet ante omnia virginem, cogitationes ſuas puras inuiolatasque ſeruare; anima quippe perdurante incorrupta, corpus quoque impollutum immaculatumque ſeruatur. Porro ſi peſſimis cogitationibus contaminatur anima, qnantumlibet corpus incorruptum manere videatur, non tamen munda cenſetur eius integritas, quum ſordibus cogitationum inquinata videtur, hinc cecinit Poëta:

Corporis vt maculas, animi ſic ablue ſordes;
Munditia haec adſit: tum bene lotus eris.

Altera

a) Vid. Marcel. Palingenii Zodiacus vitae ſub ſigno Capricorni. p. m. 287.

Altera corporalis, ſeu phyſica, conſiſtit in integritate intactam manifeſtantis virginitatem organi plenaria, quum hymenis ſcilicet membrana neque ex concubitu, aut defloratione qualicunque, aut artificioſo inſtrumento, aut digitorum petulanti intruſione id fuerit factum, perinde erit, neutiquam fuerit violata; hymen etenim ſi fuerit ex parte laeſus, aut plenarie disruptus, virgo intemerata dici nequit. Merito ergo Teichmeyerus [b]), ſuo ſat inclutus tempore, perſtringendus iure, qui virginitatem moralem cum phyſica male cumulauit, nec vtramque ſatis claram reddidit, ſed cum inuicem permutauit. Quum autem de occultis non iudicet eccleſia, virginitatis moralis cognitionem ad forum myſticum relegamus, vbi pluribus hanc inueſtigandam atque probatis praemuniendam remediis, occaſio quoties poſcit, et munera impendunt ſolertes ſymmiſtae, et peragunt ſacrorum praeſides. Noſtrum hic erit, virginitatem phyſicam, cuius de ſigno inſeparabili diu inter medicos fuit diſceptatum, quaeque vel materialis ſiue corporalis aut formalis dicitur, perluſtrare hic ac examinare, vt praeiudiciorum tenebrae repellentur, et veritatis iubar obſcuratum hactenus, eo ſplendidius fulgeat.

Quum itaque Sectione I. multis auctorum ſuffragiis theſin noſtram corroborauerimus, et Sectione II. ad oculum euicerimus, dari virginitatis notam ſiue ſignum ſcientificum, intactam a deflorata diſtinguere virginem; operis ordo iam exigit, hanc virginitatis notam vna cum ſigno ſuo inſeparabili lucide explanare, quo aſſerti noſtri veritas indubitata ſtet atque immota, futilisque econtra opinio eorum, aut dubiam qui reddere, aut inter non entia plane referre eam fruſtra annituntur, manifeſtetur. Et quid quaeſo diutius reſtabit nobis dubium, aſſerti noſtri veritatem amplecti, ſi magis ad veritatem, quam ad fauorem matrimonii reſpicere, nec ſemi-virginum vereri iram malimus, quae licet honorabili hocce virginitatis nomine indignae, hoc attamen ad defraudandum ſibi arrogare neque erubeſcunt, nec illius defectum confiteri cupiunt. Me ſane iudice matrimonii fauor neutiquam veritatis laeditur teſtimonio, nec vlla caſta illibataque virgo demonſtratione offenditur noſtra,

b) Vid. Inſtitut. eius medicinae forenſis Cap. IV.

ſtra, multo minus afficitur contumelia; ſed maiori potius honore atque aeſtimatione dignior impoſterum cenſebitur virginum ſocietas, ſi pſeudo-virgines a veris, vti genuinum a ſophiſtico auro, cognitione hacce ſcientifica, tamquam lydio lapide, diſcerni poterint. Certe hodienum virgines non adeo inaeſtimabilem hymenis theſaurum vilipenderent, neque conſpurcarent clandeſtine, aut labem illi aſpergerent, ſicque laxis voluptatis habenis libidinoſae ſuae indulgere indoli niterentur, ſed cunctis potius viribus, hunc, tamquam Dei donum, cuſtodire atque immaculatum conſeruare ſtuderent, ſi vera virginitas in maiori eſſet pretio, huiusque infallibile ſignum, characterque indubitatus, cunctis neogamis innoteſceret, nec defloratis ſtupratisque virginibus, omnibusque ganeis, ob matrimonii, vt dicitur, fauorem, adeo patrocinaretur friuole, nec verum virginitatis ſignum cum ſpurio commutaretur malitioſe.

Non me hercule! de nihilo fuit illa virginitatis nota, quae circa ſexum ſequiorem gentis Iudaicae Deus olim ad coercendam c) in coelibatu libidinem, conſeruandamque caſtitatem, quo omnis in matrimonio auerteretur rixa, nubentibus obſervare iuſſit; licet Alphonſus Toſtatus d) irreligioſe probare annitatur, non potuiſſe Deum dare certum modum, cognoſcendi virginitatem, ſed talem duntaxat, quae, licet non vera ſemper, communiter tamen ita ſit. Quaſi Deus, omnipotens conditor atque conſtructor corporis humani, cui per omniſcientiam cuncta opera ſua ſunt conſpicua, non potuiſſet veram virginitatis notam Iudaicae detegere genti, niſi praeſciuiſſet, effectum corruptae atque deperditae virginitatis, tamquam, ſubſequens deflorationis ſignum, poſſe illis ſufficere; atque voluiſſet eorum curioſitati magis ſatisfacere, quam ad coërcendam libidinem et conſer-

c) Deuteronom. Cap. XII. v. 15.

d) Fuit hic Toſtatus in Imperio Hiſpanico Epiſcopus, multaque nobis tradidit ſcripta, quae inter Commentarius in Deuteronom. maxime elucet, vbi ad Cap. XXII. Quaeſt. 4. ita ſiniſtre philoſophatur: Fuit ſolum Iudaeis lex illa praeſcripta; apud illos ita Deo ordinante certior eſſe poterat, quam apud alias gentes; et lex quum non poſſet dare hominibus certum modum, contenta fuit, dare iſtam probationem, quae licet ſemper vera non ſit, vt communiter tamen ſic eſt.

conſeruandam caſtitatem promulgare legem. Profecto! vera ac infucata virginitas a mundi fere exordio magni fuit aeſtimata, quod praeclarus Palingenius [e]) hiſce teſtatum facit:

> Candida virginitas res eſt gratiſſima Diuis:
> Huic ſeſe oſtendunt, huic multa arcana recludunt.

Et quidni virginitas intemerata maximo affectanda honore, et proſequenda omni eſſet laude, quum Saluator Mundi, qui crimina noſtra piauit, redemtionis amore ductus carnem induere humanam dum cuperet, non, niſi a puriſſima virgine, hunc in mundum naſci voluerit, quae et poſt partum, conſeruatis omnibus incorruptae virginitatis notis, intemerata atque intaminata permanſit virgo puriſſima [f])

Nec minus virginitatis excellentia eluceſcit, quum ipſe Deus veram atque catholicam eccleſiam puriſſimae ac intemeratae virgini aſſimilatur, quae virum nec cognouit, nec petulanti quodam modo virginitatem laeſit aut perdidit; quare et in Veteri Teſtamento, ad ideam huius conformandam, ſacerdotes non niſi virgines ducere in matrimonium tenebantur [g]).

Quodſi ad profanam quoque omnis aeui hiſtoriam mentem oculumque aduertamus, virginitatem vbique gentium magni fuiſſe aeſtimatam reperiemus, adeo, vt, qui virginitatem ſpoliare, atque virginem (ipſa licet annuente) comprimere voluerit, morte mulctaretur. Sic ſacris ex literis Dinae temeratae [h]), Thamarisque ab Amnone ſtupratae [i]) exemplum ſedulis non ignotum erit lectoribus: neque Ioannis Wieri, Ducis Cliuiae Archiatri quondam, hiſtoria latebit, qua Ioannes de Heſſe, nobilis olim, filiam ſuam, in venere cum viro deprehenſam, propriis vtero caſtraſſe manibus refertur.

Quali

e) in Zodiaco vitae ſub titulo Capricorni p. m. 287. verſ. 12.

f) Non igitur mirandum, quod Suidas nobis memoriae prodidit: Hymenem in Beata Virgine et poſt enixum partum inuiolatum incorruptumque ab obſtetricibus fuiſſe repertum, quum de eius virginitate dubitaret turba. Recte igitur Montacutius Apparat. IX. ad Orig. eccleſ. §. 59. monet: Omnia hoc in partu conſuetum naturae ſuperaſſe curſum. Conceptio ſine viro; natiuitas illaeſa virginitate.

g) Leuitic. Cap. XXI. v. 13-15. Heſekiel Cap. XLIV. v. 22.

h) Geneſ. Cap. XXXIV, v. 5-7.

i) 2 Samuel. C. XIII. v. 12. et 20.

Quali nubentes gaudio olim perfuſi, ſi virginitatis fructus in ſponſa delibauerint ſua, teſtatur ritus ille antiquus, quo futuro mane virginitatis notam, poſt concubitum primum repertam, aut cognatis communicare, aut domum praetereuntibus diuulgare non erubuerint; qui mos adhuc dum in Hiſpania inualuit, vbi vetula quaedam e cubiculi neogamorum feneſtra, linteum a virginitatis defloratione ſanguinolentum, tamquam pudicitiae notam, transeuntibus porrigit, adiuncta exclamatione: *Virgen là denemos.* Similis fere ritus (ſin hiſtoricis fides habenda [k]), in imperio Maroccenſi gentibus ethnicis familiaris eſſe dicitur, ex quo virginitatis excellentiam et gentibus barbaris magno fuiſſe in pretio, omni procul dubio apparet. Multo minus Romanos virginitatis praeſtantia latuit, quin potius virgines eorum Veſtales [l]) contrarium probare potis ſint, quae deſtructa virginitatis nota, mulctae loco, ſub terra viuae ſepeliendae, nefandum hoc mortis genus ſubire tenebantur.

Neque

k) Leo Afer Lib. III. Hiſtor. Afric. refert, linteum, deflorationis ſanguine tinctum, gentibus imperii Maroccenſis veriſſimum inuiolatae virginitatis ſemper fuiſſe indicium. Sin enim vir deſponſare ſibi cuperet virginem, ritu peracto ſacerdotali, vterque conclaue probe obmunitum intrat, cuius, quo tute maritus exercere coitum, et deflorare virginitatem poſſit, vetula quaedam ante foras excubias ſeruat. Peracto concubitu ſponſus linteum examinat, et, an ſanguine ſit maculatum, perluſtrat; quod ſi nunc ex voto virginitatis ſucceſſerit defloratio, vetulae auſcultanti linteum tradit ſponſus, vt conuiuis, teſtibus tamquam ad actum hunc congregatis, monſtretur, qui linteum ſanguine tinctum videntes deſponſatis applaudunt, ſicque conuiuium nuptiale hilariter celebrant. Secus autem fit, ſi euentus non reſpondeat votis, linteumque cruore minime conſpurcatum fuerit; tunc enim ſponſa afficitur contumelia, parentibusque retraditur, et conuiuae triſtes abſque ciborum manducatione diſcedunt. Confer. etiam *Iean Peter von Anterſon fataler Schiffscapitain*, Lib. IV. C. 1. p. m. 193.

l) Virgines Veſtales erant ſacerdotes Veſtae, qui religionis cultus et Romam ante conditam Albanis iam fuit vſitatus; vid. Eutrop. Lib. I. C. I. n. 1. Non autem maior X. annorum, nec minor VI. annorum, capiebatur virgo hunc ad cultum, in quo XXX. annis ſeruire debebant Deae: effluxis autem his XXX. in ſacerdotio annis, a ſacris abire, quin immo nubere licebat. His vero, ſub defoſſionis poena, perpetuae virginitatis lex erat impoſita, ita, vt, quae, temporis intra hoc ſpatium, virginitatem perderet, viua ſepeliretur ſub terra. Vid. Liuius Lib. XXVIII. Cap. XI. Plinius Lib. IV. Epiſt. XI. Dion. Halic. Lib. I. pag. 62 ſeqq.

Neque vero Romanis ſolum virginitatis conſeruatio, ne friuole perderetur hymen, curae cordique fuit, ſed generaliter quoque omnibus accolis lex quaedam, Scantinia [m]) dicta, tunc temporis publicata fuit, quae a libidinoſa virginitatis laeſione hoſce arceret, qua ipſis certa ſub poena virginitatem violare prohibitum, pudicitiamque conſeruare iniunctum fuit; quapropter et Seiani filia, virgo adhuc impubera, ante necem mandabatur a carnifice ſtuprari, ne, morte cum ignominioſa, virginitati quoque inureretur ſtigma.

Sic quoque peculiare fanum virginitati ſacrum Romae fuerat exſtructum, in quo Veneris ſtatua, quae et veritatis Bucca appellabatur, oraculique inſtar vel corruptionem virginitatis detegere, vel integritatem eius publicare valebat, erat conſpicua. Ad huius baſin pudicitiae examen ſequenti ſacro inſtituebatur ritu: Virgo ſcilicet ſuſpecta certis ad fanum ducebatur caerimoniis, ibique digitum indicem, certa ſub ſacerdotum murmuratione, ori ſtatuae intrudere tenebatur. Quodſi nunc ſuae ſibi conſcia caſtitatis virgo incorrupta erat, illaeſum ex ore ſtatuae retrahere digitum poterat; ſin minus, virginis digitus, ori ſtatuae intruſus, ſemi reſciſſus extrahebatur, euidenti teſtimonio: virginitatem ſemel amiſſam, digiti ad inſtar reſciſſi, nullis diuitiarum cumulis recuperari poſſe. Sub Imperatoris Conſtantini Magni tempore Veneris ſtatuam, tamquam virginitatis et caſtitatis indicem, in foro Conſtantinopolitano aere exſtructam fuiſſe, hancque praetereuntes virgines caſtasque foeminas inoffenſas ac inuiolatas reliquiſſe, pſeudo-virgines vero, coniugesque adulterinas magnetis inſtar ad ſe traxiſſe, et ſubligaculis ac togis inferioribus ad denudationem vsque ſpoliaſſe, relatum legimus. Aſt mirandum hoc idolum coniugis Iuſtini germana ſoror deſtruendum curauit, quoniam ipſa, balneum viſitatura, ſtatuae huic inopinate appropinquans, equo vecta, parem impudicitiae ſuae mercedem experta: quare adulterii crimen paulo ante clandeſtine perpetratum, nunc reuelare tenebatur, ſibi ſoli duntaxat conſcium. vid. *von Neitzſchütz ſiebenjährige Weltbeſchauung* Lib. III. Cap. 9. p. m. 131.

m) Vid. Liuius, et Cicero in Orat.

Non autem mirum, quod in calidis orbis zonis virginitatis pretium magni fecerint incolae, quum et in gelidis ſeptentrionis oris cupediae hymenis non fuere incolis ignotae. Sic hiſtoriographi Regni Daniae, duobus abhinc ſeculis in Daniae regionibus exſtitiſſe ritum, certo nobis referunt relatum, quo nobilibus regale quoddam fuerit, ſuorum ſubditorum ſponſas ante matrimonium deflorare, virginitatemque ſponſae, tributi loco, ſibi vindicare, ne eiusmodi theſaurus a ſubditis ſuis, gazae huius inſciis, pretiique huius ignaris, profanaretur. Idem Gallica olim lege ſancitum erat: Comitibus ſeu Canonicis Lugdunenſibus, pro feudi conceſſione, vaſallorum ſuorum ſponſas praelibare, licitum eſſe. Nec ſedulis ignotum erit hiſtoriophilis, Euenum III. Scotiae Regem, promulgaſſe edictum, ex quo, ſuccedaneo cuilibet Scotiae Regi, nobilium ſuorum ſponſas; nobilibus econtra ſubditorum et ruſticorum ſuorum nymphas, prima nocte deflorare, iure ac ſuperioritatis poteſtate conceſſum eſſet. Vid. Limnaeus in Iure public. Lib. I. Cap. II. et Tom. I. Addition. ad Lib. IV. Cap. VII. Wehnerus in Obſeruat. pract. voce *Lehendienſt.* Quod et comprobat Polydorus Vergilius in libro ſuo de Inuentoribus rerum, Lib. I. Cap. IV. p. m. 22. ſimulque ex Herodoti Lib. IV. recenſet, Adyrmachidis, Poenorum populis, Aegyptiacis, hunc ritum quoque in vſu fuiſſe. Refert idem auctor dicto loco eiusdem farinae ſingularem ſequentis tenoris hiſtoriam: Soliti erant (populi hi), virgines nupturas Regi exhibere, qui, quam vellet, primus vitiaret. Non igitur incredibile, quod rerum exoticarum ſcriptores memoriae nobis prodiderunt: Imperatorem Mogulanum in territorio ſuo promulgaſſe legem, ex qua ſummo ſacerdoti omnes virgines deſponſatas ante primum concubitum hymene priuare, ſicque virginitatis aerarium ſpoliare, tributi loco conceſſum ſtipulatumque fuerit.

Virginitatis porro excellentiam veterum confirmat zelotypia, ex qua virgines, perdita de virginitate ſuſpectas, publicae purgationi obſtrictas iudicabant; quae purgatio innocentiae vel per aquam calidam, aut candens ferrum [n]), vel oleum feruens

n) Tali modo virginitatem intactam probauit ſuam publice Cunigunda, Franconicae ſtirpis Palatina, Henrici Bauari coniux. Etenim quum

feruens inſtituebatur, qui vero ritus virginitatem pudicitiamque probandi, temporis tractu adeo exoleuit, vt publicis tandem

quum Caeſari deſponſata haec fuerit, ac amplexus fugerit ſuos, nec coniugale debitum (neſcio, qua intentione) perſoluere vellet; Imperator zelotypia inductus, quum rumor quidam diſpergeretur, iuuenem quemdam aulicum, inconſueto noctis tempore, cubiculum huius intraſſe, adulteram hanc reputauit, mortisque ream iudicauit maritus et iudex. At illa innocentiae ſuae conſcia, ad purgationem prouocans, publice confeſſa: neque maritum ſuum Imperatorem vmquam libidinoſe attigiſſe, neque virum quemquam ad hoc vsque temporis punctum virginitatem pudicitiamque delibaſſe vmquam ſuam, hinc ignitos calcando vomeres, innocentia vt innoteſcat, ſe minime reformidare; quod et illaeſa feliciter peregiſſe fertur. Poſtmodum cum marito iucundiſſime fauſtum duxit matrimonium, et poſt fata in aede cathedrali Pabebergenſi penes eum ſepulta. Vid. *Herm. Suders gelehrter Criticus* I Theil. Quaeſt. 34. p. m. 327.

Neque praetermittendum, quod Regino, Auentinus atque Sigonius, celebres ſat ſuo tempore hiſtorici, de Carolo III. et coniuge ſua, Richarde nobis referunt: Hic coniugem ſuam (matrimonio vltra decennium iam ſubſiſtente, quum eam, voto quodam inductus, non carnaliter cognouiſſet) cum Luitwardo, Conſiliario a ſecretis ſuo, adulterii ſuſpectam reputans, ac innocentiae ſuae purgationem deſiderans, publice in concionem vocauit. At illa econtra non ſolum ab eius, ſed ab omni etiam virili contactu immunem, virginem adhuc intemeratam ſe eſſe confeſſa, aut diuino coram iudicio innocentiam comprobaturam, aut duello, vel igneos calcando vomeres, purgationem declarare promiſit.

Huc referenda quoque Imperatoris Ludouici Pii coniugis, Iudithae, hiſtoria, quae a priuigno ſuo, Pipino, adulterii criminis cum famulo quodam pediſſequo rea iudicata Bernhardo, ad purgationem canonicam ferro mediante candente damnata, feliciſſime innocentiam demonſtrauit. Vid. Löſcher. Diſquiſit. de probation. rerum dubiarum per ignem facta. Item M. Guilielm. Iuchii Differt. de modis probandi innocentiam apud veteres.

Nec non annotanda meretur virginis Principiſſae, Ottonis Magni Imperatoris filiae, hiſtoria, quae pro refellenda deperditae virginitatis contra Cunonem ſuſpicione, ad ordalium duelli damnata, Comitis ope Burchardi, perlucide demonſtrauit innocentiam. Vid. Ioach. Ioh. Mader de Duello, vt ordalii quondam ſpecie, diſſertatio.

Sic quoque hodienum in inſula Ceylon ſingularis quaedam innocentiae purgatio, cum vaccino ſtercore feruido, praeſto eſt. Vid. *Robert Knox ceyloniſche Reiſebeſchreibung*, Lib. 3.

Quibus annumerandum quoque Ebraeorum Ius canonicum ſingulare, ex quo foeminae ac virgines ſuſpectae hauſtu aquae amarae a ſacerdote

in iudiciis ad imputati criminis innocentiam probandam, litemque per ſententiam dirimendam a Germanis introductus fuerit atque ſtabilitus, de quo leges Salicae °) teſtantur.

Enimuero vtut virginitas res ſit inaeſtimabilis et delibatu grata, fuere attamen gentes quaedam barbarae, hanc moleſtum ſat atque laborioſum, graueque recuperatu negotium reputantes, ita vt operarios certos non modo hanc ad deſtruendam conducerent, ſed et ſeruis ſuis gratum huncce peragendi laborem demandarent, de quo allegata ſub Sect. II. pag. 21. legi merentur. Quum vero ignoti nulla cupido, atque Phryx non niſi plagis emendetur, et hi forſitan nimis ſero ſapere didicerunt, contrariumque planctu edocti, lugebunt, hinc ignoſcendi detur ipſis peccati locus.

Conſiſtit autem virginitas, vi definitionis datae (Sect. II. p. 16.), in clauſtri virginalis integritate, quod anatomicis pariter ac phyſicis hymen audit, quem veneranda medicorum antiquitas diuerſis ſynonymis, vnam rem denotantibus, indigitare voluit. Sic membrana Eugion; puritatis cingulum; clauſtrum virginale; flos virginitatis; integritatis argumentum; caſtitatis munimentum; panniculus virginalis; germen floris; Cento; interſeptum virginale; cuſtodia pudicitiae; ſigillum pudoris; columna virginitatis; Buction etc. viciſſim ab iis nuncupatur. Quum autem ad hoc vsque temporis momentum, vti ex antecedentibus videre eſt, de forma hymenis phyſicos inter pariter ac medicos diſceptatum fuerit diu, optaui ſaepius ardentiſſime, vt opportuna mihi occurreret occaſio, hymenis veritatem,

cerdote deuotae innocentiam teſtari tenebantur. Conf. Num. C. V. v. 12 - 28. Vid. Grodbecks Exercit. de antiqua Ebraeor. purgat. caſtitat. Nec minus in Regno Siam hodienum adhuc eiusmodi per aquam et ignem inualuit purgatio, vbi ordalii loco per ferri candentis contactum ad feruidae deglutitionem oryzae condemnatur reus. Vid. *Ioh. Schaters Beſchreibung des Königreichs Siam* p. 293.

Habent ſane virgines, de quo ſibi gratulentur, noſtrates, quod his in regionibus, certificandam ad virginitatem ac caſtitatem, purgationis hunc legislatores non introduxerint ritum, quoniam libidinoſo hoc ſeculo, multis in virginitas rara avis et perſaepe in puellulis 16 et 17. annorum nigro ſimillima cygno eſt. Experto crede Ruperto!

o) Vid. Conring. de ortu iuris germanici Cap. III. Conf. *Iuſt. Geo. Schottel von unterſchiedenen Rechten Teutſchlandes* Cap. XXVIII. §. I.

tatem, eiusque experiri formam. Tandem aliquot ante annos, labores inter clinicos voti mei particeps factus, et mirabile hoc, diuino plane concinnatum artificio, ens, quatuor ſucceſſiue vicibus explorare, manibus palpare, oculisque perluſtrare iucunda mihi ſe obtulit ſors, vbi quatuor in ſubiectis foemininis verum virginitatis ſignum, aſt forma parumper a ſe inuicem diuerſum, reprehendi. Non vero, vt medicorum plerique ſomniarunt, prope veſicae collum ſitus eſt hymen, ſed aliam plane occupat ſedem, et a conditore ſummo in extrema vaginae vteri parte, orificium dicta, ad muniendum quaſi collocatus reperitur, ita, vt nihil ſolidi, modicae licet ſit craſſitiei, oſtium vaginae intrare poſſit, quum non prius aut dilatetur, aut dilaceretur hymenis membrana. Neque hymenis membrana per ſe neruoſa et admodum ſubtilis exiſtit, vti aliqui, de quibus Sect. II. mentionem fecimus, ſibi imaginati, multo minus ſemicircularis eſt, et vaginae interiorem partem vndequaque ambit aut inueſtit; minime vero praedictorum ex opinione, ab exitu colli veſicae ad interiorem vaginae dimenſionem ſe extendit, ſed eam, quam obſeruauimus aliquoties, in omnibus indiſtinctim retinet ſedem atque ſtructuram; et licet viri, praecedenti in Sectione adducti, oculares afferti ſui teſtes fuiſſe ſe, publice declarauerint, fides tamen ſemper modo penes hos erit auctores, quibus nemo, eorum niſi imbutus praeiudicio, adſtipulabitur; numquam etenim a me et a centum aliis talis modi conſtructa reperta fuit virginitatis membrana. Quodſi vero in retrogreſſis annis quibusdam a medicis, qui nec aliorum praeiudicio, nec exploratione propria ſe ipſos deceperint, nec formam hymenis diuerſam pro tali membrana virginitatis ſontica agnouerint, eiusmodi ſingularis plane membrana fuerit reperta (nemini enim ſuam derogare cupio auctoritatem), tamquam praeternaturale quid reputandum cenſeo, atque vt miraculoſum prodigium aeſtimandum iudico, cui opinioni noſtrae et ſagaciſſimi omnis aeui tam phyſici, quam anatomici [p]), ſuffragantur.

Mem-

p) Vid. Pinaeus, Regnerus de Graaf, Venette, Behrius. Verheynius, Kulmus et Frider. Boernerus, Profeſſ. anatomiae public. in alma Witembergenſi in Inſtitut. ſuis medic. legal. pag. 30. ſqq.

Membranae autem huius putatitiae defectus, eiusque rariſſima in quam plurimis obſeruatio, aut virginum iam defloratarum ſiniſtra hymenis exploratio, omni absque dubio, vera fuit ratio dubitandi, aut negandi virginitatis ſignum; quoniam illi (neglecto vero hymene) vel talem membranam, quae intra centum annos vix ſemel reperta, fruſtra quaerere ſtuduerunt, vel tales explorauerint virgines, qui hymenis clauſtrum libidinoſe aut deſtruxerunt, aut per coitum iam perdiderunt plane, hinc in omnibus puellis, eorum viſitationi obuiis forſitan, hymenis praeſentia obſeruari non potuit. In veris autem non defloratis, nec ſophiſticatis virginibus eiusmodi hymenis membrana, a me deſcripta, ſemper tamquam proprium reperitur, licet eius forma in aliquibus paululum differat; nec vllus ex illuſtrium medicorum aeui recentioris coetu vmquam fuit, qui non indubitatum afferti noſtri teſtem ſe profeſſus. Quum autem non ſufficiat dicere, ſed etiam probare, iuxta propriam meam obſeruationem, hymenis ſtructuram et formam, vti quatuor abhinc vicibus mihi explorare licuit, dextre delineare conſtitui.

Scilicet hymenem membranam eſſe cuticularem, carnoſam, eiusdem ſubſtantiae ac indolis, vt interior vaginae tunica, ex qua etiam protuberare videbatur, certo obſeruaui, ita vt interioris, in vagina vteri, membranae prolongatio vera, huiusque proceſſus, dici atque vocari poſſit, ſubtiliſſimis ſparſim intertexta venulis. Haec prolongatio cuticularis, in extrema vteri vaginae parte, quae vaginae collum nuncupatur, diſtinctis quatuor punctis papillaribus carnoſis, foliorum myrti inſtar, ſupra obtuſe cuſpidatis intertexta quaſi, diuerſis plicis rugisque ſubtilibus obuoluta, ad exitum vsque magis magisque diminutis, conſpiciebatur, ita vt membrana haecce prolongata conum non inepte repraeſentaret inuerſum (quippe quum papillarum baſis ad interiorem vaginae ſubſtantiam latior, harum autem mucro verſus pudendorum exteriora gracilior apparebat). Quum nunc papillulae hae carnoſae a baſi latiores, verſus finem vero tenuiores magis exiſtant, interſtitia quoque earum membrana quadam vndequaque in continuitate ſint obmunita, ſequitur neceſſario, vt in ea parte, vbi ad pudendorum

rum exitum vergant hae papillulae myrtiformes, anguſtiſſimum ibi hiatus forment ſpatium, atque vaginae introitum adeo arctum reddant, vt vix digiti auricularis apex (adultioris hominis) absque notabili preſſione per hunc intrudi poſſit, qui hiatus et catameniorum et lotii excretionibus inſeruire ſufficienter valet. Neque transuerſim poſita erat haec membrana in orificio vaginae, ſed eius dimenſionem mediantibus papillulis quaquauerſum ambiebat, nec membranae eminentiam in omnibus eamdem, ſed graciliorem ac expanſiorem, magisque abbreuiatam in aliquibus obſeruaui, vt, quoad expanſionem, diaphragmatis membranam quodammodo aſſimilaret (quamvis hymenis membrana non, vt diaphragma, ſit laeuigata et neruoſa, ſed carnoſa potius et cuticularis), figuramque coni obtuſi plane tunc amitteret: interim rimam membranae modo oblongam aliquantum, modo rotundiorem paulo, vidi, prout membrana eminentior ex parte, aut gracilior ac expanſior magis erat, vti ſequentia docebunt exempla:

Primum ſubiectum, in quo virginitatis membranam obſervare mihi licuit, puella XVII. annorum ſubflauis ornata capillis fuit (vulgo *eine Blondine*), vbi hymenem tenuiſſimis papillulis carnoſis intertextum, non prominentem, ſed expanſum magis reperi: rimae capacitas digiti mei auricularis transitum denegabat. Secunda vice puellam quamdam decem annorum, ſubflauis aeque praeditam capillis, viſitare, mihi permiſſum fuit, in qua hymenem eadem, vt in praedicta virgine, conſtructum forma comprehendi. Poſtmodum in puella XXIV. annorum, flauis ad albedinem magis vergentibus dotata capillis, hymenem perluſtrare mihi contigit, vbi hunc, rugis quibusdam interplicatis, coniformem ac protuberantem paululum obſeruaui, fulcimenta quatuor carnoſa, diſtincte inſerta, clare ab inuicem diſcerni poterant. Rima membranae, quae introitum ad vaginam ſuppeditabat, adeo erat anguſta, vt digitum auricularem, ad baſin vsque, non absque conatu, huic intrudere potuerim. Tandem praeterito anno in puella XVIII. annorum, capillis coruina nigredine ornata (vulgo *eine Brunette*), hymenem explorare opportuna ſe mihi ſubduxit occaſio. Membrana ex atro rubidi ſiue ſubfuſci erat coloris, nec prominens,

ſed expanſa, et hiatus rimae multo prioribus capacior erat, vt medium manus dextrae digitum ad baſin fere, nec tamen absque preſſione, imponere ei valuerim. Haec differentia inſuetae amplitudinis, ſedulo vt membranae ſtructuram peritius examinarem, me impulit, quo ratio huius phoenomeni explicari poſſet: perluſtraui itaque propylaeum, et hymenem in poſtica parte verſus nates disruptum, et a papillula ſeiunctum vna vidi, ita vt dextri lateris papillula, a membrana plane ſeparata, cognitu pyramidalis ſe praeſentaret, ſiniſtra autem papillula a membrana paulisper modo dehiſceret, quae hymenis conſtitutio neceſſario rimam ampliare, maioremque hiatum largiri ipſi debuit; ex quo concludere potui: hancce puellam aut ex mentula tenui ſuſtinuiſſe compreſſionem, aut digito quodam, vel alio inſtrumento artificioſo rimam ſibi confricaſſe, ſicque petulanti modo ſuae ſatisfeciſſe libidini; cuius et veritatem poſtmodum expertus. Sic quoque non ita pridem in puella XXV. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, hymenis membranam itidem in dextro latere paululum fiſſam et a papillula carnoſa diuulſam aliquantiſper obſeruaui, de cuius pudicitia magnum mihi haerebat dubium, quod et fama loci confirmauit.

His ex prolatis, quorum ipſe teſtis fui ocularis, non modo hymenis exiſtentia, ſed et mirabilis eiusdem in omnibus fabrica et ſtructura lucide apparet. Quum autem modo paucis licuit adire Corinthum, neque omnibus anſa aeque, vt mihi, ſuppeditata fuerit opportuna, hymenis diuerſitatem explorare, huiusque veritatem inueſtigare (propria quippe deſtituti experientia, aliorum auctoritati adſtipulantes, matrimonii potius fauorem tueri, quam veritatem ipſis incognitam amplecti iudicarunt), dolere potius eorum poſſumus vices, quam indignari credulitatem. Licet vero haud pauci, retrogreſſis in annis, non modo dubiam reddere virginitatis veram notam, ſed et plenis buccis fallacem praedicare, intenderint neruos, aliorum dicteriis inhiantes, experientiae propriae ob defectum, nubem pro Iunone arripere, coeco ductu ſtatuerint; fuere attamen aliqui, propria, aut aliorum ſolerti induſtria, mecum qui explorati hymenis deſcripti veritatem. Sic Caſparus Bartholinus, et

et doctrina quondam et ingenio inclytus, in ſcriptis ſuis anatomicis [p]) hymenis deſcriptionem, in multis obſeruatione cum noſtra reiterata aliquoties, paulo ante adducta, concordantem, allegat, quapropter ipſiſſima verba ibidem de hymene prolata extractiue hic adducere placuit: „Situs eſt hymen prope finem „colli vaginae vteri, ibique per transuerſum inſtar diaphrag„matis ſita eſt haec membrana: in medio eſt inſtar annuli per„forata, vt minimi digiti apicem in adultioribus intromittat, „per quod foramen menſes effluunt. Ad latera ceruicis vbi „enaſcitur, craſſior eſt, quam in medio, continuatur ſubſtan„tia ceruicis, ac ſi ex ea enaſceretur. Subſtantia partim mem„branea, partim carnea, neque tamen admodum craſſa eſt; in „aliis vero tenuior eſt atque imbecillior, in aliis ſolidior craſ„ſiorque, et aliquando ita firma, vt ſectione opus ſit, praeſer„tim quando ſegnior et impotentior eſt maritus: alioquin, ſi „hic validus, ſolet tandem poſt menſes aliquot pertundi. Ve„nulis donata eſt haec membrana multis, quibus in primo coi„tu ruptis, dolor et ſanguinis profuſio oritur. Tandem vero „euaneſcit ex coitu vel alio petulanti attritu, quemadmodum „in viris fraenum glandis quando laceratur.„

Hiſce praeclariſſimus auctor obſeruationis noſtrae probat veritatem: an vero propria experientia, an aliorum ſeductus auctoritate, quasdam hic intercalare voluerit circumſtantias, ab obſeruatione noſtra alienas, vere affirmare non auſim, ipſe quoniam haec praeteriit ſilentio. Sed hercule! poſterius ferme crediderim, quoniam auctor iuxta ſcripti ſui perſpicuitatem, et dilucidam alias expoſitionem minime ſe vidiſſe profeſſus, neque ibidem adduxerit: quod ex hymenis oriatur ruptura infallibile deflorationis criterium, ſcilicet caruncularum quatuor myrtiformium geneſis, ſed veritati aliquantulum repugnaverit, hymenem prope finem vaginae vteri collocando, quum tamen in extrema eius parte ſit poſitus, et modo oſtium, ac orificii vaginae conſtituat clauſtrum. Nec minus experientiae contrariatur prolatio eius, hymenem ex ceruice vaginae enaſci, quum tamen ipſa haec membrana ſit prolongatio tantummodo

 et

p) Vid. Inſtitut. anatom. Lib. I. de infimo ventre p. m. 136.

et proceſſus integumenti vaginae interioris. Huius obſeruationis meae veritatem anatomicorum quorumdam celeberrimorum corroborant teſtimonia, quae ad theſin meam probandam hic adferre non erunt incongrua. Sic Verheynius Lib. I. Tract. II. Cap. 32. p. m. 142. aſſerit, ſe virginem XXV. annorum, in cuius vaginae vteri extremitate membranam hymenis, ab interiori vaginae integumento progenitam, fere circularem, aliqua ex parte plicis obuolutam, orificiumque vaginae propemodum occludentem, obſeruauerit, publice ſecaſſe, concluditque rationaliter, hymenem huncce membranae interioris vaginae prolongationem duntaxat et proceſſum eſſe. Porro Regnerus de Graaf de mulierum organis Tom. I. fol. 591. teſtatur, diuerſa foeminini ſexus, aetatis diſtinctae, cadauera non modo ſecaſſe, ſed et virginum viuarum exploraſſe corpora, nec alium, niſi iſtum naturalem hymenem, ab interioris integumenti vaginae prolongatione progerminantem, ſe vidiſſe. Sic in recens nato infante orificium vaginae minoris piſae magnitudine absque plicis cuticularibus notauit. In puella vero VI. annorum magis dilatatum vidit vaginae orificium, pauloque priori amplius, cuius in medio vtrinque plicas rugoſas cuticulares membranam formantes conſpexit; quum huius rimam forfice diſſecaret, vaginae orificium ipſo hymenis hiatu capacius verſus nymphas antrorſum obſeruauit: huius rationem ſuppeditat veram, quandoquidem hymenis membrana, ab interiori vaginae integumento cuticulari proueniens, ob fulcimentorum carnoſitatem, verſus orificium, arctius ſpatium formare teneatur, hinc rima hymenis, plus multo, ipſa vaginae cauitate anguſtior conſpicitur, ſiquidem haec ob plicarum praeſentiam paulo amplior ſuo eſt orificio. Alio tempore quum praedictus auctor in puella XII. annorum orificium vaginae exterius paulo perluſtraret accuratius, atque Profeſſorem Schachtium, teſtem vt ocularem, ad mutuam inuitaret obſervationem, orificium vaginae exterius, circum circa plicis rugoſis cuticularibus, in membranae circularis formam expanſis, reperit: quae hymenis membrana in hacce puella, ſin ad matrimonii punctum intemerata manſiſſet, adeo roborata fuiſſet temporis tractu, vt, niſi maxima intruſionis vi, ſubſequente

ſenſibili

ſenſibili quodam dolore, ſanguinisque profluuio, dilacerari atque pertundi a mentula potuiſſet.

Ex antecedentibus ergo adductis elucefcit clare, hymenis membranam, verum tamquam virginitatis criterium, ab integumento vaginae interiori, fulcimentis quatuor carnoſis intertexto, naſci atque oriri. Quoniam itaque hymenis rima coarctata vaginae ingreſſum duntaxat praecludit, atque huius introitum difficilem reddit, haec membrana autem ab integumento vaginae interiori, verſus orificii exterioris ſitum, in plicas cuticulares degenerante, oriatur, talisque prolongatio non omnibus in ſubiectis aequalis protuberantiae ſit; ſequitur, quod hymenis forma non in omnibus aequalis eſſe poſſit propendula. Quum porro virginitatis haec membrana, tamquam interioris integumenti proceſſus, a tunica vaginae rugiformi oriatur, hae plicae rugoſae autem annorum duntaxat tractu creſcant euidentiores, magisque extendantur; ſequitur, quod in recens natis puellulis hymenis membrana non aeque, ac in adultioribus XXV. annorum, adeo perfecta ſit et manifeſta. Alia vero (praeter hanc adductam, a nobis ſaepiſſime obſeruatam oculis) nec datur hymenis membrana, nec virginitatis nota, quamuis eiusmodi particularis virginitatis pellicula, neſcio, quo fundamento, a multis ſtatuatur, vti ex antecedentibus videre eſt. Sin autem forſitan talis modi alia fuerit reperta virginitatis membrana heterogenea, aut in ſtructura et forma ſe ipſos deceperunt obſeruatores, aut tamquam praeternaturalis plane et inſolita corporis pars progenita haec fuit, quibus et Venette, licet in virginum gallicarum gratiam, dubium omnino hymenem tamquam virginitatis ſignum, in libro ſuo de generatione hominis, vel quaſi teſtetur, ac lubens ſuffragatur. Sic praedictus auctor Part. I. Cap. I. p. 17-19. et Part. I. Cap. II. Sect. 3. p. 37. item Part. IV. Cap. II. p. 482. publice fatetur, nullam aliam, niſi hymenis membranam, ex myrtiformium caruncularum complicatione ortam, virginitatis eſſe notam, aliam vero (ſi forſitan quaedam circa meatus vrinarii exitum obſervata fuerit vmquam) plane praeternaturalem, et pro virginitatis ſigno characteriſtico minime eſſe reputandam. Interim tamen inficias iri non poterit, non in omnibus eamdem virgini-

bus ſeruare formam hymenis membranam, quamuis indiſtinctim in cunctis reperiatur intemeratis, ac vnum eumdemque inſertionis et geniturae locum obſeruet in omnibus, vti prolata teſtantur praecedentia. Ego etenim membranam hancce non modo protuberantem paululo, coniformem, plicis aliquot et rugis ſubtilibus coagmentatam, verum etiam alio tempore planam hanc et breuiorem, ac plicis absque expanſam, in omnibus tamen orificii exterioris peripheriam circumcingentem, vidi. Ludit etenim et in naturalibus (ſi dicere fas eſt) diuina potentia rebus, ſagaciſſimi et expertiſſimi artificis inſtar, opus qui ſuum artificioſum ad vnum collimans finem, certis quandoque condecorationibus ornat, ſapientia quo eluceſcat ſua, rem eamdem vni ſcopo atque inſtituto deſtinatam, vario ſe poſſe conſtruere modo. Itaque ſi virgo quaedam, licet XXIV. ſit annorum, intemerata debeat pronunciari, hymenis rima in dimenſione adeo arcta ſit oportet, vt adultioris hominis minimum vix capiat digitum commode; ſi autem hymen propendulus fuerit, paulo capacius rimae ſpatium erit, vt ad radicem vsque minimus intrudi poſſit digitus.

Quodſi autem acciderit, vt haud longe poſt catameniorum fluxum examinari debeat virgo, praefixa arctitudinis norma erit limitanda. Hymenis etenim hiatus tunc temporis magis conniuentior et capacior apparebit, ob ſanguinis fluxum paulo ante perpeſſum, qui membranam lubricam et laxam reddere potuit; quod et in virginibus leucorheae obnoxiis eo magis, quo duratior fuerit fluxus, valebit. Qualem vero vtriusque etiam fluidi affluxus laxitatem aut conniuentiam in membranae rima amplificanda procurare poſſit, haec tamen non adeo euidens erit, quin cauſſae diſcrimen a qua, haud diſtincte cognoſcatur, ſiquidem rimae conniuentia aut amplificatio, a fluore albo aut menſium fluxu cauſſata, absque huius fiſſura aut ruptura peragatur. Secus autem iudicandum, ſi rimae fimbria aut diſtenſa, aut tritu perpolita, vel bifidata, vel plane rupta et laeſa appareat, aut carunculae myrtiformes a membrana ſeiuncta conſpici poſſint, quae laeſio, tamquam violenta, ex alio capite deriuanda erit.

SECT.

SECT. IV.

Corruptae virginitatis ſigna, et ſophiſticationis huius poſſibilitatem explicat.

Quum vita et honor pari paſſu ambulant, mortales in ſtatu politico locati nihil magis, niſi honorem, conſeruare ſtudent. Inprimis vero ſequior ſexus, et ex hoc virgines, paſſionibus animi quae maxime indulgent, honoris conſeruandi omni ex parte cupidae ſunt: hinc fit, vt quaelibet virginis titulum, decies licet depoſita ſit, et virginitatis florem diu ſatis perdiderit, arrogare tenus hac ſtudioſe annitatur, quamdiu amoris fructus non progerminauerit, nec Cupido, ille Veneris filius, depoſitionis ſigillum ipſis viuum impreſſerit. Multae ſane coniugales orirentur rixae, ſi quilibet ſcurra virginitatis notam exacte ſciret, aut virgines ſi hodienum, Romanarum ad modum, virginitatis intactae ad examen vocarentur, atque ſtatuae Veneri, vt olim, ad explorandam virginitatem, digitum ori intrudere tenerentur. Non ſatis igitur laudandi ſunt ſeculi noſtri mores, qui adeo virginibus blandiuntur, et omnem impudicitiae ſuſpicionem ab ipſis remouent; quum has modo inter virgines reponunt illibatas, quibus orificium exterius vaginae vteri (remota omni alia virginitatis nota) arctum atque anguſtum obſeruatur, vt omnes in coniugio dirimant contentiones, et matrimonii conſeruent fauorem. Sane Reineſius, Ducis quondam Saxoniae Conſiliarius, indulgendo huic vitio, non leuem immaturo ſuo iudicio ſuppeditauit anſam, dum in Schola iureconſultorum edita p. 346 - 352. incluſiue, contra omnem anatomicorum obſeruationem, hymenis perfracte negauit exiſtentiam, ac publice ibidem profeſſus: hymenem, ſi exiſteret, nullum intemeratae virginitatis eſſe ſignum, quum non in omnibus aeque reperiatur, et, ſi aliquando exiſtat, ſtudio plerumque rumpatur, ita, vt certius dici poſſit, non dari hymenem naturali modo. Nec Valentini, Profeſſor olim Gieſſenſis,

ſuo

ſuo omnem remouit dicterio lapidem, acſi virginitatis cognitio ardua plane res ſit, et opus adeo difficile; quum experto Phyſico multo minus ſit difficilior, quam verum impraegnationis ſtatum proximo a conceptionis menſe certo determinare. Magis profecto illae gentes de vero virginitatis criterio, hymenis membrana ſcilicet, reddere nos certiores, et Reineſium ad palinodiam adigere poterunt, dum in recens natis vuluae labia, ad exiguum vsque, pro emittendo lotio, hiatus ſpatium conſuunt, nec citius aperiunt ad periodi nuptialis punctum vsque, quo ſponſus aperiri pudendorum ſuturam curat, vt dehinc verum virginitatis fructum certo delibare poſſit. Quoniam autem in magis differenato hodienum viuimus ſeculo, in quo mortalium imbecillitatem non adeo contaminavit anilis per gentes vsque diſperſa ſuperſtitio, nec delicati ſimus adeo, vt virginitatis cupedias omnibus aliis ex foeminarum amplexu redundantibus deliciis praeferamus, ſed contenti potius viuamus, ſi virginem nominetenus vocatam occupemus formoſam; Veneris hinc ſocietas nihil habebit, quod inquiſitionem extimeſcat, aut examen rigoroſum de virginitate illibata ſuſtinere perhorreſcat, quum minimae viuentium parti vera virginitatis nota cognita perſpectaque ſit. Quandoquidem vero authenticum virginitatis criterium iam adduxerimus, operae erit pretium, vt a deperditae virginitatis ſigno, tamquam oppoſito, teſtimonia depromamus, quum ex contrariis iuxta ſe poſitis magis eluceſcat veritas, hisque omne a theſi noſtra ſtabilita remoueamus veritatis dubium. Diſpeſcitur autem haec cognitio in ſequentium trium ſignorum epicriſin, ſcilicet:

1) An virginitatis clauſtrum, hymen dictum, fuerit corruptum aut laeſum? quod fimbriae in rima diſtorſio aut disiunctio detegit.

2) An hymenis membrana dilacerata aut disrupta plane fuerit, aut ex parte? quod fiſſurae in membrana hinc inde conſpicuae et totalis membranae defectus produnt.

3) An

3) An carunculae myrtiformes nude conſpici poſſint? quod virginitatis amiſſae totalis euidens erit criterium.

Ad haec momenta enodanda tria, praecedentem ad Sectionem III. recurrere neceſſe erit, vbi manifeſta, integritatis quae ſtatum comprobare poſſunt, virginitatis adduximus intemeratae ſigna. Quodſi nunc horum praeſentia (vti re vera eſt) virginitatem certificare valeat intactam, ſequitur, quod eorum abſentia et defectus explanare deflorationem potis ſit. Demonſtrauimus nimirum, quod in virgine XXV. annorum alias ſana nec cacochymica, neque leucorhea laborante, vel catameniorum fluxum proxime experta, hymenis rima coarctata adeo et anguſta eſſe debeat, vt digitus auricularis ad radicem vix intrudi poſſit, quodque haec rimae fimbria ex parte denſa, compacta et conuoluta quaſi, non modo obſeruetur, ſed et ipſa virginitatis membrana (hymen dicta) fulcimentis carnoſis intertexta, aut propendula parum, aut expanſa magis, rugis aliquot cuticularibus obmunita conſpiciatur. Si nunc ex mente noſtra contraria hymenis qualitas verum deflorationis ſignum fuerit, neceſſario fluet conſequentia: Vt, ſi rima hymenis multo, vti diximus, ſpatioſior atque amplior exiſtat, adeo, vt medium dextrae manus digitum ad radicem vsque, omni absque conatu, commode capere valeat, adhaec fimbria rimae diſtenſa, attenuata, vel explanata plicis animaduertetur, certo phyſicum enunciare poſſe, primum violationis gradum, aut per digitos, aut per inſtrumentum perfrictioni accommodatum, hymenem fuiſſe expertum, licet virginitatem formalem nondum plenarie perdiderit, ſed modo laeſerit virgo; hinc tale ſubiectum (poſitis caeteris intemeratis) virgo adhuc vocari merebitur phyſice. Quodſi vero, ſecundo, non tantum multo capacior fuerit rima, et huius fimbria plane diſtenſa, plicaeque hymenis explanatae partim et perpolitae appareant, ſed et hiulcae quoque fiſſurae hic inde in fimbria rimae conſpiciantur, vt fulcimenta carnoſa pyramidalia, a cuticulari ferme dehiſcant mem-

brana [a]); ſecundus deflorationis gradus hic hymenis ſtatus dici, et de virgine ita conſtituta absque ambagibus teſtari poterit, hanc aliquo turpi modo, aut compreſſione virili, virginitatem perdidiſſe propemodum, vel praeter omnem conſpurcaſſe modum, quare ſemi-virgo duntaxat nuncupanda, nec illibatis accerſenda erit puellis. Tertio tandem, hymenis membrana plane ſi deficiat, ac myrtiformes carunculae quatuor (quae fulcra membranae carnoſa ſunt) diſtincte in conſpectum prodeant, nec non nympharum [b]) fraenulum, verſus Veneris montem, antrorſum in propylaeo locatum, fuerit

a) Fulcimenta haec carnoſa ſunt decantatae iſtae carunculae myrtiformes, quae poſt hymenis membranam ruptam ſemper, vel duae, vel tres, aut quatuor numero conſpici ſolent: ego nec pauciores, nec plures quatuor obſeruaui.

b) Quid ſint nymphae, ex anatomicis haud ignotum arbitror; in gratiam autem philiatrorum quorumdam curioſorum, harum deſcriptionem hic annectere placuit: Nymphae ſunt duo lobi cuticulares cauernoſi, cryſtae gallorum ſub gutture ſimiles, non modo voluptati in coitu continuandae inſeruientes, ſed vrinae inprimis ad crura circumfuſionem praepedientes, ligamento quodam ſubtili nervoſo, fraenulum dicto, antrorſum coniuncti. Hi lobi in virginibus, ex flauo albeſcentibus capillis praeditis (vulgo *bey einer Blondine*), rubicundi ſunt coloris et parumper tumidi; in puellis vero, crinibus ex atro nigris dotatis (vulgo *bey einer Brunette*), pallido ferme et ſubfuſco conſpiciuntur colore, nec, vt in prioribus, adeo tumidi apparent. Etenim ex reiterato coitu, aut repetita genitalium perfrictione, non modo ſanguinis verſus nymphas circulatio viuidior ex maſturbationis compreſſione praepeditur, ſed huius quoque affluxus cohibetur et repellitur; quare ſub hoc diſcrimine in vtroque variare ſueuit ſubiecto, harum et rubicundus et ſubfuſcus color, et lobi plane disiuncti, flaccidi et relaxati conſpiciuntur. Enimuero quid libidinoſa digitorum titillatio ad deſtruendam conferre queat virginitatem, iam ſuo demonſtrauit Pinaeus aeuo. Vid. eius Prolem. parthenica, quae Tract. ſuo de not. virginit. inſerta ſunt. Prolem. 3. p. m. 74. Cuius veritatem et auctor ille famoſus Anglus in libro ſuo, Onania dicto, variis comprobauit exemplis Part. I. Cap. 2. p. m. 21. et Part. II. in appendice p. m. 413. Quae veſtigia et alius anonymus calcauit auctor in libro ex anglicana in germanicam tranſuerſo linguam, cui rubrum: *Neue wohl eingerichtete Frauenzimmerapotheke.* Hamburg. 1741. in 8vo. qui, non absque reprehenſione et comminatione, virginum talis modi actiones recenſet deteſtabiles, p. m. 89. ad quos lectores ablegamus curioſos.

fuerit disruptum, vt nymphae, antea arcte coniunctae, iam diſiunctae, et colore naturali orbatae, flaccidae obſeruentur, de virginitate actum erit integra; vt, virginem talis modi ſuſtinuiſſe deflorationem, tuto, absque iniuriarum metu, dici poſſit. An vero virginitatis eiusmodi corruptio plenaria, aut ex coitu maris, aut ex libidinoſa digitorum maſturbatione [c]), aut alia frictione artificioſa fuerit peracta? oculari inſpectione diiudicari nequit, niſi exploratori fuerit conceſſum, praecipuum conceptionis organum, vterum ſcilicet, penitius digito rimari. Vteri etenim orificium in illibatis XVIII. annor. minimae iuglandis magnitudinem adaequat, glabrum dehinc atque laeuigatum eſt, et parietes rimae adeo arcte compreſſi, vt ne hilo vnguis diſiungi poſſint. Qui etiam ſtatus orificii vteri perdurare obſeruatur, quamdiu concubitum virilem nondum expertae ſint virgines. Quodſi vero (licet ſemel) coitum paſſae virgines, orificium hoc ex templo immutatum reperimus, ſuperficies orificii perpolita prius, laxitatem iam aliquam conſequitur, parietes rimae, antea arcte compreſſi, iam dehiſcunt, et rima orificii vterini, absque moleſtia, apice medii digiti, commode ſat et euidenter inquiſitioni praeſto eſt; Quod vero phoenomenon orificii, ſi inſtrumento artificiali virginitatis hymen, aut digito disruptus fuerit, non aeque obſeruare contingit. Quaelibet ergo puella aut virgo ab eiusmodi petulanti merito caueat corporis defoedatione, ne id perdat, quod recuperari nulla arte poterit.

Haec, quae de virginitatis praeſentis, aut laeſae, vel plane deperditae, criterio adduximus, indubitata nituntur veritate et autopſia comperta ſunt, quicquid et auctores antiqui, vel recentiores, aut ex incuria et inſcitia ex obſeruationum defectu, vel pro fauore ſexus muliebris obtinendo, de dubiis vir-

c) Maſturbatio oritur a verbo maſturbare, quod manu aliquid turbare denotat, quaſi dicas, manuſtuprare. In codicibus nonnullis legitur: Maſtruptor, Maſtupor, Masturbor, et Maſturbo, quod forſitan a μαϛρωπὸς, inhoneſte genitalia tangere, originem duxit. Eſt libidinoſa, aut propria aut aliena manu genitalia ad venerem ſtimulando, aut rem veneream peragendo, actio, lege diuina plane prohibita, vtrique ſexui familiaris. Plura proferre, verecundia vetat.

ginitatis ſignis balbutire velint. Si enim dubia aut incerta hymenis eſſent criteria, fallacia certo eſſent in medicina forenſi medicorum omnium prolata, nec vlla propemodum virgo dici intemerata, nec deflorata omni absque dubio pronunciari poſſet. Quomodo quaeſo (ex hiſtoricorum relatione) tunc temporis medici de virgine quondam famoſa Ioanna Dare, alias Puella de Orleans dicta, quae Cardinalis de Anglia, Comitis Waruicenſis, iuſſu duobus a medicis iuramento obſtrictis explorata fuit, certum virginitatis incorruptae teſtimonium reddere potuerunt, ſi virginitatis ſignum eſſet de nihilo? et quare Itali et Hiſpani non modo foeminas pro adulterio auertendo, ſed etiam virgines, ad praecauendam deflorationem, cingulo quodam ſera artificioſa perſtructa obmuniunt? niſi de virginitate certi eſſe, et obiectiones omnes de nullitate hymenis prolatas remouere vellent.

Quum ergo, iuxta praefata, intactam inter et defloratam maxima intercedat virginem differentia, ego, omni absque iactantia et oſtentatione vana, nec arroganter et temere (quaſi magnopere meae tribuerem virtuti robur), ſed praemeditate et vere obteſtor, me ſemper (praemonita ſecundum antecedentia) intemeratam a deflorata diſtinguere velle virginem, quicquid et alii hac de re dubitare velint; ſufficiat interea, ſincere me atque cordate, nullis contentionibus, eruditorumque rixis, ſed oculari in contrarium demonſtratione duntaxat refutandum, vtriusque veriſſimum, experientia repetita euictum, monſtraſſe diſcrimen. Quod ad alia cognoſcendae incorruptae aut deperditae virginitatis ſigna hinc inde ab auctoribus prolata ſpectat, maxime ea, ſufficienti vtpote probationis fundamento deſtituta, falſa atque ſuſpecta cenſeo, quorum nonnulla curioſitatis gratia hic adducam; e. g.

1) Si filum quoddam duplicatum, teſte Pinaeo, a naſi apice ad ſuturae coronalis medium, et dehinc ad ſuturae ſagittalis exitum, ſuper os frontis ducatur virgini, hocque filum dimenſum accuratiſſime colli craſſitiem adaequet, vt neque ſpatium

ſuperſit,

ſuperſit, neque colli craſſities fili ſuperet longitudinem duplicati, tunc puella vera virgo dicenda; ſin minus, contrarium exiſtere dicitur.

2) Si herba acetoſae contrita prunis iniiciatur ardentibus, ac virgo huic ſubſideat ſuffumigio, diureſin promovere virgini fumus hicce ſtatuitur intemeratae; ſin autem vrinae profluuium ſuſpendatur, contrarium dicendum. Vid. *Foreſti* Obſeruat. LV.

3) Si ſuccinum pulueriſatum virgini propinetur in ſubſtantia, nec ab eius effectu vrinae ſequatur profluuium, genuina haec virgo erit dicenda; ſecus, ſi contrarium accidat. Hunc et effectum ſuccini fumus, ad vuluam ſuffumigio deportatus, praeſtare fertur. Vid. *Anshelm. Boëtius* Lib. II. de lapid. et gemmis Cap. 165.

4) Si virgo quaedam aut aluearium turbet, aut apum examen irritet, nec illarum tamen ſentiat aculeum, vere intemerata dicenda; corrupta autem, ſi eueniat contrarium. *Levinus Lemnius.*

5) Si virgo mingendo vrinam deiicere in altum ſphaerice poterit (teſte *Scaligero*), vera; ſin minus, deflorata dicenda.

6) Vox virginum bariphona, mammarum flacciditas et intumeſcentia, nec non collum laxum et molle, corrupti hymenis ſigna dicuntur. *Venette.*

7) Si ex aconiti caerulei herba, quod et Napellus caeruleus audit, ſertum compingatur, virginisque imponatur capiti, ita vt frontis os attingat, ſertumque a capite delabat aut vacillet ſponte, puella erit deflorata; ſin minus, intemerata dicenda. *Geſnerus.*

8) Si puluis radicis hederae arboreae, ſternutatorii loco, a virgine ſumatur, haecque aſſumtum poſt talis modi nasale mox mingat et vrinam reddat, deflorata erit; ſecus, ſi effectus contrarium teſtetur. *Albertus Magnus.*

9) Si virgo quaedam putatitia ſemicupio ex decoctione herbarum parato per horae ſpatium inſideat nuda, et poſtmodum mantelio deterſa huius genitalia examini ſubiiciantur, et peritius perluſtrentur, veritas eluceſcet ſubito. Si enim intacta erit, vuluae labia et nymphae compreſſae ac coniunctae; ſin minus, praedicta genitalia flaccida, plane relaxata, et molliter pendula, quae ante ſemicupii vſum extenſa et conſtricta videbantur, apparebunt. Semicupii praeparatio, ſecundum *Venette*, ſequens eſt:

℞. Herb. Hyperici.
atriplicis ſatiuae ſeu domeſticae.
brancae vrſinae (ſpondylium alias dictum)
aa. Mp. IV.
fol. Maluae hort. Pg. vj.
Capſular. lini ſemen continent.
Semin. Pſyllii. aa. Pg. vij.
Conc. Gr. M. et Cont. M. Superaffundatur hiſce aqua feruida, quantum ſatis ad balneum implendum.

10) Si lotium cum ſibilo in matulam excernatur, hocque tenuis ſit ſubſtantiae, intemerata virgo putatur, ſin alias ſana ſit; ſiquidem in defloratis craſſa et turbida obſeruari dicitur vrina. *Albertus Magnus.*

11) Si areola papillam ambiens in vtraque mamma grate rubella fuerit viſa, virginitatis ſignum habetur; ſin autem ſubfuſci coloris, criterium deflorationis putatur. *Muſitanus.*

12) Si

12) Si abdomen virginis compactum atque tactu durum exploratur, ſtatus intemerati ſignum erit; ſin autem molle, flaccidum aut rugoſum conſpiciatur, deflorationis criterium iudicatur. *Horſtius.*

Quum autem ex adductis mere futilia, ac ſeorſim ſpectata, maxime per ſe incerta ſint ſigna, niſi ex ſyndrome fiat concluſio, B. L. curioſitatis cupidum ad auctorum allegatorum ſcripta ablegatum volo. Interim ea, quae in antecedentibus ex autopſia adduximus, omnem hac in parte ſupplebunt exſpectationem fidemque, nec vllum, perpenſis rite et examinatis omnibus a me allatis hac in doctrina, relinquent inconſultum. Quamuis enim Pinaeus, ſuo ſat tempore praeclarus, in Tractatu de virginitatis ſignis, hymenis membranam, eiusque connexionem, manifeſte et erudite Cap. V. demonſtrauerit, cui et in omnibus aſſentior, attamen quoad deperditam et defloratam virginitatem, multa doctiſſimus ipſe vir inexplorata atque intacta reliquit, quae merito in examen vocare illum oportuiſſet, ſi exactam nec mancam de virginitatis criteriis relationem orbi curioſo tradere voluiſſet. Quum autem ipſi defuerit occaſio, obſeruationem hac de re ſuam vlterius extendendi, ac ille non ficta, ſed fide digna, publico tradere ſecum conſtituerit, reliqua de virginitate laeſa aut plane deperdita ſcitu neceſſaria ſilentio praeteriit, ſcilicet:

I. Quod in virgine, primum ſtatim poſt coitum, etiamſi mentula non adeo ſit craſſa, integram vt hymenis membranam vna vice disrumpere poſſit, fimbria attamen rimae hymenis recutiatur et complanetur ex parte.

II. Quod mentula ſin 1½. pollices transuerſos tantummodo ſit craſſa, poſt amplexum attamen primum a reiterata in coitu frictione, fiſſurae tenues in fimbria rimae hymenis, et quidem eo in loco, vbi punctula carnoſa triangularia, hymenis membranae intertexta, conſpiciuntur, viſui appareant; quod et contingit, ſi digitis aut alio quodam adaptato inſtrumento, libidinoſa eiusmodi vuluae confrictio inſtituatur.

III. Quod

III. Quod poſt primum ſtatim coitum orificium vteri, in virginibus intemeratis conſtrictum adeo et laeuigatum, vt extremitate digiti, veſtigium vix quoddam rimae explorari tactu in illo poſſit, dehiſcat paululum, vt digiti vnguem capere poſſit commode.

Si itaque rimae dilatatio hymenis, aut amplitudinis huius varietas diuerſis in ſubiectis, vel a natiuitate, aut chloroſi, vel leucorhea, aut a menſium fluxu dubium virginitatis ſignum ex Nicolai Venette, eiusque ſpectatorum mente reputari debeat; (quod tamen, vt impoſſibile quid, ſecundum prolata antecedentia neutiquam concedimus) certe ad reliquas a nobis adductas in defloratione aut ſtupratione circumſtantias erit attendendum, ſi veritatis ſplendor omnium oculis fulgere debeat clarius. Quid enim quaeſo medicina in forenſi praeſtabitur vtilius, aut quale iudicium erit formandum, de virginitatis praeſentia ſi oriatur ſuſpicio vel dubium circa deflorationem, an talis re vera poſſibilis? aut moueatur lis et controuerſia, an in ſubiecto inquiſito exiſtat, quum Venette doctrinam, quod virginitas ſcilicet deperdita, aeque ac incorrupta cognita ſit difficilis, coeco amplectamur ductu; non enim aliorum auctoritate, ſed veritate litandum. Quod enim experientia reiterata idem atque idem exiſtere obſeruatur, magis veritati conſonum cenſebitur, quam non ſatis euicta, nec obſeruationibus ſufficienter corroborata, ſed aliorum duntaxat ſplendida auctoritate fultulta hypotheſis. Quandoquidem vero in anatomicis et phyſicis nihil temere credendum, quod propria non coincidat obſeruatione, Pinaeus amicus, Venette amicus, magis tamen amica erit veritas. Haec quum ita ſint, multi praeclari viri, noſtro iam aeuo in cognoſcenda et diſcernenda virginitate, doctrinam, ab antiquitate traditam, lubricam plane et erroneam iudicarunt: quorum inter Spigelius, Behrius, Hornius, aliique fuere, qui, licet non peculiaribus ſcriptis ad hunc finem directis, ſparſim attamen in aliis a ſe editis phyſicis atque phyſiologicis, intactae et defloratae virginitatis criteria, ſpecialibus quamuis talis modi absque ſignis a me ad-

ductis

ductis, demonſtrauerunt atque corroborauerunt; vt andabatarum more diceretur aliquis certare, horum ſi obſeruationibus contradicere, absque ratione vellet.

Ex his igitur luce clarius patebit meridiana, quid de virginitatis ſophiſticatione ſit ſtatuendum: an virgo ſcilicet deflorata, et virginitatis hymene aut per coitum vel maſturbationem priuata, in integrum poſſit reſtitui? ita vt hymen reſarciatur, et deflorationis criteria deleantur; ad quod reſpondemus:

Si ex opinione vulgi, in anguſtia orificii, aut totius vaginae vteri arctitudine ponatur vera virginitas, huiusque dilatatio et amplitudo ex mente plebis deflorationem indigitare debeat, omni procul dubio talia remedia praeſto erunt adſtringentia, quae orificium vaginae non modo, ſed et ipſam vteri vaginam adeo coarctare poterunt, vt virginem hanc intactam omnes crediderint [d]), quandoquidem orificii vaginae dilatatio ab intruſione mentulae virilis poſt reiteratum congreſſum concitata, tonicis remediisque contractiuis auferri poterit.

Quodſi vero de reſarcienda hymenis membrana, vtpote genuino virginitatis criterio, atque delendis deflorationem concomitantibus ſignis, quaeſtio oboriatur, dicendum ſane erit, quod factum infectum fieri nequeat; minime etenim hymen disruptus et plane amiſſus reſtitui poterit, et carunculae myrtiformes, conſequentia deflorationis tamquam indicia, et deperditae virginitatis indubitata criteria, repelli atque deleri vllo medicamine nequibunt. Porro ſi rima orificii vteri, quae virginibus in veris (quemadmodum in praecedentibus dictum) laeuigata adeo atque compacta reperitur, vt digiti vngue neque ſeparari et disiungi, nec hilum intrudi poſſit, poſt deflorationem dehiſcens obſeruetur, de coitu peracto renunciari poterit,

d) De quo artificio Nicolaus Venette, Chriſtophorus Heluigius, et auctor quidam Anglicus anonymus in officina ſua pharmaceutica muliebri, in germanam linguam transverſa, multas adduxerunt formulas.

terit, quum comprimi iterum vlla arte nequeat orificium interius; aeque ac impoſſibile eſt, in foeminis partum enixis talis modi hiatum, licet multo maiorem, iterum occludere. Hic itaque magis minusue interioris orificii apparens hiatus, in virgine qualibet ſignum erit euidens praeſentis ſtatus, grauida an fuerit antea, et partum enixa, nec ne. Idem vteri orificium, huiusque varietas, certum grauiditatis tempus determinandum in praegnantibus praebet indicium, ita vt a menſe ad menſem, huius ex qualitate diuerſa, de partus tempore, firmum quiuis ferre poterit praeſagium; niſi virginibus aut foeminis vterus plane fuerit exemtus, vt olim Andramiſis, Lydiorum Rex, in virginibus peragere iuſſit, quo absque conceptionis metu, exercere cum illis concubitum poſſit: quo pacto de ſtupratione aut ingrauidatione nullum iudicium erit ferendum.

Quum autem non inferius ſemper ita ſit, ſicut ſuperius, nec fronti vlla fides habenda; igitur omnia, ex abdominis rugoſitate, colli laxitate, mammarum flacciditate, aut cartilaginis naſalis mobilitate, vel vocis grauitate, aut labiis hiantibus, deprompta virginitatis ſigna, futilia tamquam, et, ſeorſim ac ſeparatim ſpectata, maximopere incerta, plane fugienda, nec vlla in ipſis ſolummodo collocanda erit fiducia, ſed omnia potius criteria, ſecundum obſeruationem noſtram, rite erunt ponderanda atque examinanda, priusquam ſtabile de virginitate ferendum ſit iudicium: ſi enim hymen deficiat, et carunculae myrtiformes in orificii vuluae aprico conſpiciuntur, virginitatis defectum annuere quiuis indubitate poterit; licet enim vagina vteri arctiſſima et ex ſophiſticatione maxime compreſſa appareat, caeteraque cuncta ſigna allegata, tamquam futilia et maximopere incerta, plane ceſſauerint, virgo attamen intacta vocari haec non merebitur, ex qualicunque etiam cauſa hymenis amiſerit florem, perinde erit, quum naturam deſtructam ars medica ſubleuare poterit ſophiſticatione.

Haecce de virginitatis verae diagnoſi, et deflorationis certiſſimae, ac ſophiſticationis explicatione, tamquam ratione

et

et experientia fundata adducere volui, adiuncto voto ardentiſſimo, vt omnia in Creatoris gloriam et honorem omnipotentis, ac foeminini ſexus emolumentum vergant quam vberrime.

Laetus itaque Palingenii ſuffultus conſolatione concludo:

Tu liber interea diuerſa per oppida curre
Inuidiam ſubiture grauem. Nam multus vbique
Oblatrator erit, cuius lacerabere morſu.
Non deerunt certe, qui, quum nil edere poſſint
Dignum laude, tamen gaudent maledicere ſemper,
Carpendisque aliis, famam venantur inanem.
Hos Tu liuidulos catulos, orisque maligni
Exoſus refuge, et doctos inquire bonosque.
Vade igitur felix liber, et longiſſima viue
Tempora: quumque meos tellus obduxerit artus,
Tu varios populos diuerſaque regna ſuperſtes
Quaere, ſtudeque meum late diffundere nomen.

S. D. G.

54

I
Geller
1763